

INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE

**E L E M E N T A  
AD FONTIUM EDITIONES  
IX**

**RES POLONICAE  
EX ARCHIVO REGNI DANIAE**

**I PARS  
(1526 - 1572)**

**collegit  
DR. LEON KOCZY**



**NON EXTINGUETUR**

**R O M A E 1 9 6 4**



INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE  
VIA DEGLI SCIPIONI 284 - ROMA

---

IAM PRIDEM ROMAE PRODIERUNT HAEC VOLUMINA  
(continuatio *Studia Teologiczne* — Wilno, vol. I-X):

- XI — MEYSZTOWICZ V., *Repertorium bibliographicum pro rebus Polonicis Archivi Secreti Vaticani*. Vaticani, 1943.
- XII — MEYSZTOWICZ V., *De archivo Nuntiaturae Varsaviensis quod nunc in Archivo Secreto Vaticano servatur*. Vaticani, 1944.
- XIII — SAVIO P., *De Actis Nuntiaturae Poloniae quae partem Archivi Secretariatus Status constituunt*. Romae, 1947.
- XIV — MEYSZTOWICZ V., *Prospectica descriptio Archivi Secreti Vaticani*. (Ed. chirotypica, exhausta).

---

ANTEMURALE, I-VIII. Roma, 1954-1963.

---








INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE

**E L E M E N T A  
AD FONTIUM EDITIONES  
IX**

**RES POLONICAE  
EX ARCHIVO REGNI DANIAE**

**I PARS  
(1526 - 1572)**

**collegit  
DR. LEON KOCZY**



**NON EXSTINGUETUR**

**R O M A E    1 9 6 4**

SUMPTIBUS  
FUNDATIONIS  
MEMORIAE  
CAROLI DE BRZEZIE  
LANCKOROŃSKI  
DICATAE

EDIDIT:  
INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE  
VIA DEGLI SCIPIONI, 284 - ROMA

EDITIONEM CURAVERUNT:  
VALERIANUS MEYSZTOWICZ  
HENRICUS PASZKIEWICZ  
CAROLINA LANCKOROŃSKA



## INDEX RERUM

Introductio . . . . .	Pag.	VII
Textus documentorum . . . . .	»	1

### Tabulae I-VIII

Regesta . . . . .	»	149
Index tabularum . . . . .	»	177
Index nominum propriorum . . . . .	»	179

*« Index Chronologicus » in hoc volumine omittitur, quia ordo archivalis seriei hic productae ordini chronologico plene consonat.*





## INTRODUCTIO

### I. Preambulum historicum

*Non est vera scientia rerum gestarum nisi universalis; qui res unius nationis cognoscere cupiunt, ignorare non possunt aliarum gentium historiam. Ita etiam qui nihil, vel pauca sciunt de rebus actis in Oriente Europeo, haud possunt recte intelligere ea, quae in Occidente fiebant.*

*Europa enim ineunte saeculo XVI quandam veram constituebat unitatem; eius constitutionis leges, etsi non scriptae, etsi non raro a quibusdam spretae, firmae manebant in conscientia maioris et sanioris hominum partis. Unio haec, nomine « Reipublicae Christianae » vel brevius « Christianitatis » vocata, fundabatur non solum in una fide religiosa, sed etiam in diffusione litterarum latinarum et iuris Romani; maximi tamen momenti erat communis finis huius societatis regum et populorum: et talis finis existebat in defensione communi a communibus hostibus. Ex parte enim Mahometanorum, Tartarorum ac Ducatus Moscoviae continuae fiebant incursiones; a litoribus Lusitaniae per totum mare Mediterraneum, per totam peninsulam Balcanicam, per Pontum Euxinum et ultra, usque ad fines Novogardiae Maioris, usque ad Septentrionale mare Album, fere incessans saeviebat bellum; terrae Reipublicae Christianae ab invasionibus et populationibus armis defendebantur; scutum opponebatur gladio, vis vi repellebatur, ne hostilis tyrannus substitueretur Romano cultui iustitiae et aequitatis, ne periret ipsa libertas christianiter vivendi.*

*Polonia, quae simul cum Magno Ducatu Lithuaniae, magnam hostilis impetus partem sustinebat, necessarium Reipublicae erat membrum, sine quo defensio limitum, finis communis unionis, non erat assequendus. In hac defensione maximum acquisivit momentum quaestio de dominio maris Baltici. Orta est haec quaestio ex die, quo magnus dux Moscoviae, qui hucusque a « Khano » Tartarorum Hordae Aureae potestatem in orientibus Russiae partibus obtinebat, ipse, Horda Aurea decadente, Tartarorum Kazaniensium et Astrahaniensium « Khan » factus est; tunc enim ille dux, Ivanus Terribilis, iam ex sua, non aliena voluntate, seipsum « tzar » Moscoviae « et totius Russiae », auctoritate propria, a nemine accepta, declaravit. Idem tzar hanc potestatem assumens, simul et principia dominandi, ab ipso fundatore imperii Tartarici statuta, pro propria recepit; praesertim vero propositum, imo quasi-officium, potestatem suam usque ad fines orbis terrarum extendendi. Non contentus immensis terris Siberiae, quae sibi patebant, firmiter fundato dominio suo in ducatu Tveri et liberis civitatibus Novogardiae et Plescoviae, Ivanus aggressus est Teutonico Ordinem Militarem Cruciferorum de Livonia et a. 1558 Narvam, eorum portum, cepit. Ex hoc momento initium habuit « navigatio Narvica ». Hoc nomine designatur commercium maritimum, quo mercatores occidentales, lucrum proprium utilitati Christianitatis antepones, arma et munitiones Ivano Terribili portabant. Milites Livonienses auxilium ab*

omnibus principibus christianis petentes \*) , sub praesidium Sigismundi Augusti confugerunt; rex Poloniae, hostem in alam sinistram aciei suae admittere nolens, terrarum Livoniae defensionem suscipere coactus est. Simul etiam interruptionem « navigationis Narvicæ » obtinere proposuit.

In praesenti volumine habentur litterae duorum regum Poloniae, Sigismundi I et filii eius Sigismundi Augusti ad reges Daniae scriptae. Fere omnes connectuntur cum dominio fretorum seu faucium maris Baltici, etiamsi ad causas privatas mercatorum pertineant. In litteris suis rogat instanter Sigismundus Augustus regem Daniae ut freta maris Baltici, in Danorum potestate manentes, navibus arma et munitiones Narvam portantibus, claudat.

Sub nova luce in his litteris apparet nobis ultimus rex ex stirpe Jagellonica; notum erat eum in bello felicem fuisse, et etiam in rebus politicis internis multa assecutum: unionem realem Poloniae cum Lithuania, reformationem agrariam, ordinationem tribunalium, institutionem tollerantiae acatholicorum, aliaque; acta tamen huius regis in rebus, ad Rempublicam Christianam totam spectantibus, vix cognoscebantur. Nunc vero, ex litteris ad regem Daniae, et etiam ad Elisabetham I reginam Angliae scriptis, quas brevi tempore publici iuris faciemus \*\*), apparet Sigismundus Augustus sub novo aspectu; discimus ex his documentis eum clarissima intuitione negotiorum totius Europae dotatum esse; haec visio non solum rerum praesentium, sed et futurarum, mira revera videtur; nemo, inter coaetaneos monarchas christianos, tam perspicue rerum illius temporis futuros effectus praevidebat, nisi forsitan senior Sigismundi consanguineus, Carolus V, imperator. In litteris, quae in praesenti volumine a Leone Koczy transcripta praesentantur, illuminata mens Sigismundi Augusti, hucusque parum nota, clare apparet.

## II. De Archivi Regni Daniae ortu et nova ordinatione

*Tabularium, ex quo documenta, quorum textus sequuntur, desumpta sunt, est Archivum Regni Daniae, quod Hafniae in Dania invenitur (Rigsarkivet, Rigsdagsgaarden, Kobenhavn 12).*

*Documenta, ad hoc Archivum spectantia, colligi incoeperunt sub rege Valdemaro Atterdag (1340-1375); posterioribus temporibus cancellarius Regni munus archivarii exercebat; sub Friderico I Holsatiensi (1523-1539) initium ponitur Cancellariae Germanicae (Tyske Kancelli). Eodem tempore summa divisio Archivi in duas partes, nimirum in Danske Kancellis Udenrigske Afdeling (Acta Cancellariae Danensis, breviter D.K.U.A.) et Tyske Kancellis Udenrigske Afdeling (Acta Cancellariae Germanicae, breviter T.K.U.A.) instituta est. Extra D.K.U.A. et T.K.U.A. habentur in Archivo aliae partes, ad negotia externa pertinentes: « Pergamena » et « Geheimkonseilet ».*

*Archivum Hafnense saeculo XIX reordinationem fundamentalem perpe-  
ssum est. Antiqua et originalis actorum dispositio hac occasione irremediabiliter periit. Secundum novam ordinationem divisio in « D.K.U.A. »*

---

\*) V. CZAPLIŃSKI, Wł. Stanowisko państw skandynawskich wobec sprawy inflanckiej w latach 1558-1561. (in Zapiski Historyczne, poświęcone historii Pomorza T. XXVIII z. 3, p. 379-406) Toruń 1963.

\*\*\*) V. Elementa ad Fontium Editiones XII. Res Polonicae ex Museo Britannico. Ed. Dr. Carolus H. Talbot. (in praeparatione).



et «T.K.U.A.» integra remansit; sed in utraque praedictarum partium Archivi documenta disposita sunt secundum criteria nova, quorum primum est locus provenientiae documentorum, secundum vero tempus quo scribebantur; ita ortum habuit Cancellariae Germanicae «pars specialis» («T.K.U.A., Speciel Del») in 83 series subdivisa, quorum unaquaque ad continendum scripta singulorum «regionum» (regnorum, principatum, rerum publicarum, civitatum, episcopatum etc.) destinata est. Singulae harum serierum, quarum unaquaque nomine alicuius regionis vocatur, dividuntur in sub-series: A, B, C; et aliquando etiam D (vel «Tillaeg», «additamentum»).

Sub-series «A» dividitur ulterius in minores sectiones: I, II, III. Ex regula generali «A I» continet scripta regum et procerum, «A II» scripta de rebus politicis, «A III» scripta de rebus maritimis et commercialibus; «B» ad continendum relationes oratorum aliorumque missorum regis Daniae destinatur; sub «C» reponuntur archiva eorundem missorum in exteris collecta et Hafniam remissa. «D» vel «Tillaeg», «additamentum» destinatur ad continendum scripta, quae sub «A», «B» et «C» locum sibi adaptatum non inveniunt.

Haec uniformis dispositio actorum in singulis 83 seriebus «speciel Del» aliquando consultationem archivi faciliorem facit.

### III. De Polonicis Archivi Regni Daniae

Ordinem Archivi Regni Daniae sequentes, Polonica invenire possumus in diversis eiusdem tabularii partibus.

1. Praeprimis quaerenda sunt acta Polonica in serie, quae ad repouenda scripta e Polonia provenientia destinata est; schematicam illius seriei imaginem hic producimus:

T.K.U.A. Speciel Del. Polen

A	I (scripta regum et procerum)	fasc. 6
	II (scripta aliorum de rebus politicis)	fasc. 7
	III (scripta de rebus commercialibus et maritimis)	fasc. 8
B	(relationes oratorum et missorum regis Daniae e Polonia)	fasc. 29
C	(archiva eorundem in Polonia coadunata Hafniam remissa)	fasc. 41
(D)	(«Tillaeg», scil. «additamentum» «acta aliena» praesertim s. XVIII)	fasc. 10

2. Praeterea, acta ad Poloniam spectantia inveniri possunt etiam in aliis seriebus, ad alias regiones spectantibus, T.K.U.A. Speciel Del; in iis praeprimis, quae referuntur ad regiones quae vel partem Poloniae constituebant, uti Gedanum, Prussia, Curlandia, Livonia, vel cum Polonia in multis rebus pacis et belli agebant, ut Moscovia (postea Russia) vel Suecia.

3. Etiam in «T.K.U.A. Gen. Del» aliqua Polonica adsunt et quidem in seriebus quae veniunt sub nominibus:

«Latina» 1506-1512, 1563-1661;

«Ausländische Registrarer» 1537-1538, 1590 etc.

«Instructiones» 1539-1548, 1585-1588, 1598-1616; (ad illas series adiunctae sunt etiam collectiones respectivarum minutarum).

4. *Etiam in actis Cancellariae Danicae (D.K.U.A.) sine dubio aliqua, etsi non multa adsunt disseminata polonica, praesertim in « Franske Acta », « Engliske Acta », « Ruiske Acta », « Svenske Acta » et etiam in serie « Indkomne breve » (1513-1617).*

5. *In parte archivi quae sub nomine « Pergamena » nota est, exstat series « Polen » in qua, secundum catalogum manuscriptum, 32 numerata notantur.*

6. *Acta ad Poloniam spectantia adsunt etiam in illa parte Archivi, quae « Geheimkonseilet » dicitur.*

#### IV. De loco documentorum hic productorum

*Res Polonicae, quae in praesenti volumine producuntur, omnes nunc servantur in uno solo fasciculo, quod siglam « T.K.U.A. Polen A.I,1 » habet. Secundum propositum eorum, qui Archivum reordinabant, deponenda hic erant scripta omnia regum Poloniae, et quidem ab a. 1526 usque ad annum 1572, i.e. scripta Sigismundi I et Sigismundi Augusti. Ut saepe in similibus reordinationibus evenit, primum propositum archivistarum non semper plene ad effectum perducitur; ita et in casu nostro accidit: praeter litteras duorum regum Poloniae, inveniuntur in hoc fasciculo etiam aliqua alia scripta: nimirum minutae responsionum regum Daniae: Christiani III (N. 5) et Friderici II (N.N. 49, 53, 63, 72, 86, 88); adsunt etiam litterae privatorum civium Gedanensium (N. 67).*

#### V. De Rerum Polonicarum in Archivo Regni Daniae investigationibus

*Studia in res Polonicas Archivi Hafnensis iam plus quam centenaria sunt, etsi nonnisi per intermissionem fiebant. Primus Polonorum, cuius vestigia investigationis in Archivo notantur, erat comes A. Raczyński (a. 1830); omnes tamen ex hoc maximo tabulario pauca acta Polonica notaverunt, paucissima ediderunt; maxima documentorum ad res gestas Poloniae spectantium pars adhuc Hafniae editionem expectat.*

#### VI. Nota bibliographica

*Pro Archivo Regni Daniae in genere:*

- 1) JÖRGENSEN A.D., Udsigt over de danske rigsarkivers historie, Hafniae 1884, pp. 329.
- 2) WESTERGAARD W., Guide to the Diplomatic Archives of Western Europe. Ed. D.H. Thomas and Lynn M. Case. University of Pennsylvania Press, Philadelphia 1959. -N. 3, pp. 43-54.
- 3) TYSKE KANCELLI I. Indtil 1770 Tyske Kancellis Indenrigske Afdeling, 1770-1806 Tyske, 1806-16 Slesvig-Holstenske, 1816-49 Slesvig-Holsten-Lauenborgske Kancelli og de dermed beslaegtede Institutioner ved



Johanne SKOVGAARD, Vejledende Arkivregistraturer VII. Hafniae 1946, pp. XLV, 179.

- 4) TYSKE KANCELLI II. Gehejmekonseilet 1670-1770. Danske Kancellis udenrigske afdeling til 1676 (1698). Tyske Kancellis udenrigske afdeling til 1770 ved A.G. HASSÖ og E. KROMAN med Indledning af C.S. CHRISTIANSEN. Vejledende Arkivregistraturer XI. Hafniae 1962, pp. VII, 393.

*Pro rebus ad Poloniam spectantibus in eodem Archivo, Cl. Koczy opera quae sequuntur notatu digna invenit:*

ARNELL, S. Handlingar rörande, Erik XIV: s och hertig Johans baltiska politik 1561-1562 (*in Handlingar Rörande Sveriges Utrikespolitik 1561-1566*. Utgivna av Kungl. Samfundet för Utgivande af Handskrifter rörande Skandinaviens Historia, genom Ingvar Andersson och Sture Arnell. Historiska Handlingar Del 33:1 Jämte Bihang). Stockholm 1946.

ARNELL, S. Die Auflösung des Livländischen Ordensstaates. Das schwedische Eingreifen und die Heirat Herzog Johans von Finnland 1558-1562. Lund 1937.

BODNIAK, St. Polska a Bałtyk za ostatniego Jagiellona (*in Pamiętnik Biblioteki Kórnickiej*, vol. 3) Kórnik 1946.

CZAPLIŃSKI, W. Acta Poloniae Maritima. T. VII, 1632-1648, pars I-II. A. Edidit Lad. Czaplinski, Bern. Janik scripta Germanica adjuvante. Societas Scientiarum Gedanensis. Gedani 1951, 1959.

CZAPLIŃSKI, W. Polish-Danish Diplomatic Relations (*in Poland at the XIth International Congress of Historical Sciences in Stockholm*) Varsaviae 1960, pp. 179-204.

CZAPLIŃSKI, W. Les territoires de l'ouest dans la politique de la Pologne de 1572 à 1764. (*in Acta Poloniae Historica IX* 1963).

JASNOWSKI, J. Mikołaj Czarny Radziwiłł (1515-1565) (*in Rozprawy Historyczne Towarz. Nauk. Warszaw.*, vol. XXII) Varsaviae 1939.

KERTSEN, A. Wojska polskie w Danii 1658-1659 (*in Annales Univ. Mariae Curie Skłodowska, Sectio F. XIV* 4 1959). Lublin 1962 (pp. 101-138).

KOCZY, L. Akta polskie w Archiwum Państwowym w Kopenhadze (*in Archeion*, 1931) Varsaviae 1931, (pp. 36-69).

LAURSEN, L. Danmark-Norges Traktater 1523 med dertil hørende Aktstykker, vol. I-XI. Hafniae 1907-1949.

MALECZYŃSKI, K. Dwa niedrukowane akty przymierza Kazimierza Wielkiego z Danią z r. 1350 i 1363 (*in Kwart. Hist.*, vol. XLV, 1, pp. 254-257).

SCHIRREN, C. Neue Quellen zur Geschichte des Untergangs livländischer Selbständigkeit. Aus dem dänischen Geh. Archive zu Kopenhagen hrsg. von C. Schirren, vol. I-III (*in Archiv für die Geschichte Liv-, Est- und Curlands, Neue Folge, vol. IX-XI*). Reval 1883-1885 vol. II nr. 171, 186, vol. III nr. 233, 281.

WEGENER C.F., Aarsberetninger fra Det Kongelige Geheimearkiv indholdende Bidrag til dansk Historie af utrykte Kilder, vol. I. Hafniae 1852.

WEGENER, C.F. Diplomatarium Christierni Primi, n. 78, 88, 111, Hafniae 1856.

*Sat ad lectorem in medias res introducendum diximus.*

*Manet adhuc nobis gratias agere tum Cl. mo Leoni Koczy, qui documenta transcripsit pro notis supra adductis de Archivo, de rebus polonicis in eo contentis, deque re bibliographica. Gratiae quoque aguntur illis omnibus, qui eum in opere exarando adiuvarunt: Professoribus Stanislae Seliga et Wladislao Dworzaczek, et Archivistis Regni Daniae, Tabulario Hafnensi praepositis; speciali vero modo Cl. Domino H. Bruun et eis, qui cum eo in officina photographica Archivi operantur.*

V. M.

Textus documentorum fasciculi  
« T.K.U.A., SPECIEL DEL. POLEN, A.I.1. »





In arce Marienburgensi,  
23 Iulii 1526.

*Sigismundus I rex Poloniae,  
ad Fridericum I regem Daniae,  
intercedit pro mercatore suo Ioanne Ostendorf, qui solutionem debitorum a quibusdam subditis Danicis, licet saepe admonitis, assequi non potest.*

*(Orig., sig. vestigia)  
T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Littuaniae, Russiae, totiusque Prussiae etc. dominus et heres. Serenissimo principi, domino Friderico eadem gratia Daciae ac Gottorum regi regnique Norvegiae electo, Holsaciae, Slesviciae, Stormariae, Ditmariaeque duci, comiti in Oldemborch et Gelmenhorst <sup>a)</sup>, fratri et affini nostro charissimo, salutem et omnis felicitatis continuum incrementum.

Serenissime princeps et domine, frater et affinis noster charissime.

Exponi nobis fecit subditus noster, Joannes Ostendorf, quomodo iam pridem in regnis ac dominiis Maiestatis Vestrae pro augmento rei suae domesticae mercaturam exercens, nonnulli subditi Vestrae Maiestatis certa nomina apud eum contraxerunt, quae, licet sepe per eum aliosve admoniti, hactenus tamen (eo sic asserente) solutionem assequi non potuit. Qua de re multis precibus nobis supplicatum est, ut nostras commendaticias pro huius modi debitorum solutione consequenda illi largiremur, quod quidem eius desiderium, cum a iusticia, tum ab equitate minime alienum iudicavimus. Petimus, Maiestas Vestra illi, aut suo legitimo procuratori, gratiam ac pietatem regiam imparciendum degnetur, ut illis adiutus citra dilacionem omnem, quod iustum est, assequi possit et valeat iusticiam et debitorum solutionem. Nos rursus pari gratia id subditis Maiestatis Vestrae libentissimi referemus. Quam optime valere cupimus.

Datum in Arce nostra Marienburgensi, XXIII Iulij anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo sexto, regni vero nostri vigesimo.

Commissio Sacrae  
Maiestatis Regiae propria

*In dorso:* Serenissimo Principi domino Friderico Dei gratia Daciae ac Gottorum regi regnique Norvegiae electo, Holsaciae, Slesviciae, Stormariae, Ditmariaeque duci, comiti in Oldemborch et Gelmenhorst, fratri et affini nostro charissimo.

*Alia manu:* Intercessoriae pro Ioanne Ostendorff, ut debita, quae in Dania habeat, consequatur.

a) *Erratum, recte - Delmenhorst.*

Cracoviae, 30 Decembris 1527.

*Sigismundus I rex Poloniae,  
ad Fridericum I regem Daniae,  
rogat, ut Fucaris [Fugger], fratribus Augustae Vindelicorum, merces,  
submersae in naufragio prope Jutland, ex fundo maris elatae et per  
officiales regios detentae, restituantur.*

*(Orig., sig. vest.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviaeque etc. dominus et heres. Serenissimo principi, domino Friderico eadem gratia Danorum etc. regi, amico, vicino et affini nostro charissimo salutem et mutui amoris prosperorumque successuum continuum incrementum.

Serenissime princeps et domine, amice et vicine ac affinis noster charissime.

Fucari fratres Augustae Vindelicorum cives, cum in multis ac variis locis et provinciis, tum etiam in regno nostro plurima et ampla negocia exercent, quo fit, ut etiam cum nonnullis subiectis nostris mutua commercia habent, quorum precipuus est spectabilis Michael Meydael, fidelis noster dilectus, ordinis senatorii civitatis nostrae Cracoviensis. Paulo autem superiori tempore certum pondus eris <sup>a)</sup>, eis pertinens, partim in massas, partim in laminas redacti, in urbe nostra Gedanensi certo navigio, cuius quidam Joannes Kyssman, civis Lubicensis nauclerus extiterat, impositum erat marique commissum. Accidit tandem, ut cum preter dicionem Maiestatis Vestrae et regionem Guttelant dictam, navis ipsa velificaret, vi ventorum adacta in vada impegit et haud procul ab oppido Rijnnekoppe naufragium passa et submersa est tamen, ut a certis hominibus accepimus, multum eiusdem eris <sup>a)</sup> ex fundo in terram iam elatum est et adhuc effertur et per officiales et subditos Maiestatis Vestrae occupatur et detinetur. Et proinde supplicatum est nobis, ut ad Maiestatem Vestram interveniremus, quo es <sup>a)</sup> predictum ad manus iustorum dominorum viceversa pervenire posset. Nos vero iure vicinia primum, tum etiam amore et amicitia, quae nobis mutuo intercedit, freti, id a Maiestate Vestra assecuturos minime dubitavimus. Sed cum Fucarorum plurima et egregia in nos extent merita, Michael vero Meydel et civis noster et identidem de nobis bene meritus existat, videmus iure quodam commodis eorum consulere atque favere debere. Commendamus igitur hoc eorum negocium Maiestati Vestrae eam plurimum rogantes, velit cum suis agere eisque imperare, ut accepto pro sumptu, qui in extrahendo et in efferendo sursum submerso aere factus est, iusto et competenti premio, es <sup>a)</sup> ipsum in toto suo numero et pondere, quodcumque extractum et elatum est, aut efferri potest, veris et iustis dominis, hoc est Fucaris et Michaeli, aut ei, qui nomine eorum cum hiis literis nostris apud Maiestatem Vestram sese sistet, libere et sine dilatione restituatur in potestatemque tradatur, non obstante etiam severiori, (si quae est in regno eius), de naufragis lege, cuius severitatem leniendi procul dubio ius habet Maiestas Vestra. Nos vero vicissim, si olim casus

quispiam tulerit, itidem benignos et clementes nos exhibebimus subiectis et necessariis Maiestatis Vestrae, quam felicissime et diutissime valere optamus cuiusque amori nos et causam superius scriptam commendamus.

Datum Cracoviae, penultima die Decembris, anno Domini M<sup>o</sup>D<sup>o</sup>XXVII, regni vero nostri anno XX<sup>mo</sup>.

*In dorso:* Serenissimo principi domino Friderico Dei gratia Daciae ac Gottorum regi regnique Norvegiaeque electo, Holsatiae, Slesviciae, Stormariae Dithmarciaeque duci, comiti in Oldenborgk ac Delmenhorst fratri et affini nostro charissimo.

*Alia manu:* Ut Fucaris aes ad Iutiam naufragio facto mersum restituatur.

*Eadem manu alia nota super obvolucro:* Intercessoriae Regis Polonorum pro Fuccaris, ut aes ad Iutiam submersum consequantur et earum perent . . .<sup>b)</sup>  
Pro Ioanne Ostendorff, ut debita sibi in Dania extantia impetret.

N. 1. Polonica.

a) sic in ms.

b) sic in ms.

N. 3

Cracoviae, 17 Maii 1539.

*Sigismundus I rex Poloniae,  
ad Christianum III regem Daniae,  
rogat auxilium contra Turcos.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae totiusque Prussiae ac Masoviae etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Christiano eadem gratia Daniae et Norvegiae regi, duci Slessvicensi, Holstaciae, Stormariae, Ditmariae, comiti in Oldenburgk et Delmanhorff<sup>a)</sup>, affini nostro charissimo salutem et foelicitatem amorisque perpetui continuum incrementum.

Serenissime princeps, affinis noster charissime.

Ita Deo visum est, ut proxima superiore estate vicinum nacti sumus truculentissimum Turcarum tyrannum, cuius potentia cuncto orbi Christiano valde est formidolosa. Qui itaque sit rerum nostrarum status, facile Maiestas Vestra coniecturam facere potest, etsi enim nullum habe-



mus cum eo bellum indictum. Quoniam tamen ille utilitate sua dirigit omnia, neque diutius pacta servat, quam quoad id sua videt interesse, non possumus non esse solliciti, ne, ut est in proverbio, aliquid nobis mali eveniat propter vicinum malum, cum praesertim non vanis ad nos rumoribus adferatur, eum Prussiae terris inhiare, praecipue vero portui Gdanensi, ex quo, cum facilis sit transmissio in omnes prope Christiani orbis partes, eo, si potitus sit, absque ullo magno negotio se totius maris dominum fore, persuasum habet. Quarum enim rerum in terris suis summam penuriam et difficultatem patitur roborum, picis, orarum sive funium nauticorum atque aliarum id genus rerum ad edificandas atque ornandas et instruendas naves pertinentium, earum summam copiam in nostris Prussiae et Masoviae terris esse, ei inculcatum est.

Opportet itaque nos semper in procinctu esse atque omni cura providere, ne quid regnum nostrum detrimenti capiat propter vicinum tam potentem. Quoniam vero non adeo sumus nobis ipsi ignoti, quin facile istud intelligamus, maiorem esse vim Turcicam, quam quae nostris viribus arceri a nobis possit, cogimur undecunque auxilia petere ab iis praesertim, quorum vel amicitia freti sumus, vel quos iisdem periculis opportunos fore videmus, si quid (quod Deus omen obruat) nobis regnoque nostro secus accidisset, de quo numero, cum sit Maiestas Vestra, cuius nos animum in nos ex nostro in illam metientes, eam suavissime in nos effusam esse nobis persuademus, ad quam etiam ingens periculum perventurum esse cernimus si (quod procul Deus avertat) vicinus illi contingeret hic tam truculentus tamque potens tyrannus, scribendum ad illam duximus atque maiorem in modum petimus, si qua vis hostium existeret maior, quam cui nostris viribus resistere nos possemus, ut ope atque auxilio suo nos ne velit destitutos satiusque esse meminerit pro alienis quam pro suis focis pugnare. Integris enim nostris viribus facilius erit vim tantam propulsare, quam, si, quod absit, fractae eae sint et imminutae. Haec nos pro mutua amicitia proque communibus periculis fidenter ad Maiestatem Vestram scripsimus, quam una eademque ratione et suis et nostris rationibus prospecturam, neque vulgare aliquod animi in nos sui signum daturam firmiter confidimus. Optamus Maiestatem Vestram diu esse salvam et incolumem.

Datum Cracoviae, die XVII mensis Maii, anno Domini M.D.XXXIX<sup>0</sup>, regni vero nostri anno XXXIII<sup>0</sup>.

Sigismundus Rex ss<sup>t</sup>

*In dorso:* Serenissimo Principi, domino Christiano Dei gratia Daniae et Norvegiae regi, duci Slessviensi, Holsatiae, Stormariae, Dittmariae, comiti in Oldenburgk et Delmanhorff affini nostro charissimo.

a) *Erratum, recte* Delmenhorst.

Vilnae, 28 Aprilis 1542.

*Sigismundus I rex Poloniae,  
ad Christianum III regem Daniae,  
rogat ut cum palatino Rheni pacem conficiat, ut Christianos contra Turcos  
adiuvare possit.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Christiano eadem gratia Daniae et Norvegiae regi, duci Slesvicensi, Holsatiae, Stormariae, Ditmariae, comiti in Oldenburgk et Delmanhorff <sup>a)</sup> amico et affini nostro charissimo salutem et omnem felicitatem mutuique nostri amoris continuum incrementum.

Serenissime princeps et domine, amice et affinis noster charissime.

Meminimus, urgente illustri domino Alberto in Prussia duce, nepote nostro charissimo, nomine Maiestatis Vestrae nos scribere Imperatoriae Maiestati <sup>1)</sup>, ut illustrem dominum Palatinum Rheni ab armis contra Maiestatem Vestram sumendis deterreret ac pacificandis utriusque animis studeret. A qua re minime Maiestatem eius accepimus abhorrere. Sed utrius partis culpa factum sit, ut pax nihilominus non coierit, satis exploratum non habemus.

Ea autem nunc sunt tempora, ut si unquam antea, nunc vel maxime conciliatos Christianorum principum omnium animos, neque impedimento quenquam esse oporteat, quo minus a truculenta rabie, potentissimi crucis Christi hostis, vita fortunaeque Christianorum valido exercitu defendantur. Cui tam pio conatui, si quis obstare conatus sit, is pessime de Republica Christiana, mereatur. Nos vero ita nobis persuademus de Maiestate Vestra quandoquidem ipsius nomine nobis primum author fuit illustris dominus Prussiae dux, ut partes nostras interponeremus, quo aut pax confici, aut saltem prorogari possent induciae, eam in suscepta semel sententia permanere, neque aliud magis, quam pacem cupere, idque tanto vehementius, quod Rempubicam Christianam summum in periculum adductam esse procul dubio non ignorat.

Quamobrem minime necessarium putamus eam oratione nostra cohortari, ut, quam ad rem sua sponte satis esse propensa videtur, quieta potius consilia sequatur, quam in dimicationem aliquam descendat. Quoniam vero nostri quoque homines, veriti, ut hac aestate tuta esse queat navigatio, supplices a nobis petierunt, ut reconciliandis Maiestatis Vestrae et illustris domini Palatini Rheni animis operam darem, nos non modo, ut privatis eorum commodis, pro eo, ut facere debemus, prospicere possemus, verum etiam multo magis, ut publicae Christiani orbis utilitati consuleremus, non gravatim id nos facturos recepimus.

Qua re Maiestatem Vestram currentem licet hortamur atque ab ea petimus, ut si nondum inter eam et illustrem dominum Palatinum con-

cordia facta est adhuc tamen consilio prius omnia, quam armis velit experiri et aut pacem perpetuam, aut saltem aliquot annorum inducias suscipiat, quo neque nostrorum hominum cursus maritimus, neque pii Christianorum principum in tuendo Hungariae Regno conatus impediri possint. Pertinebit hoc ad laudem et gloriam Maiestatis Vestrae, si se ad aequitatem deduci patietur. Nobis vero gratissimum id fuerit ac totae Reipublicae Christianae cumprimis commodum et salutare. Cupimus Maiestatem Vestram diu et felicissime valere.

Vilnae XXVIII<sup>a</sup> Aprilis, anno Domini M<sup>o</sup>D<sup>o</sup> XXXXII, regni nostri anno XXXVI<sup>o</sup>.

Sigismundus Rex ss<sup>t</sup>

*In dorso:* Serenissimo principi domino Christiano Dei gratia Daniae et Norvegiae regi, duci Slesvicensi, Holsatiae, Stormariae, Dittmariae, comiti in Oldenburgk et Delmanhorff <sup>a)</sup>, amico et affini nostro charissimo.

a) *Erratum, recte* Delmenhorst.

1) *Carolo V.*

N. 5

Vyburg, 3 Iunii 1542.

*Christianus III rex Daniae,  
ad Sigismundum I regem Poloniae,  
respondet ad litteras de pace instituenda cum Friderico II palatino Rheni  
et de sustinenda prohibitione navigationis per sua maria.*

*(Minuta vel exemplar)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Ex literis Maiestatis Vestrae proximis intelleximus, quod Maiestas Vestra a sororio nostro, Prussiae duce illustrissimo rogata, ad Caesaream Maiestatem <sup>1)</sup> scripserit + et in gratiam nostram sollicitaverit + <sup>a)</sup>, ut ea se dissensionem, quae inter nos et Fridericum, Rheni Palatinum ab aliquot annis obtinuit, interponeret. Quo nomine Maiestati Vestrae, ut quae pro nobis sollicitudinem suam valere voluit, ingentes gratias agimus.

Et simul Maiestatem Vestram scire volumus, quod animus noster ad pacem in orbe Christiano conservandam propensus semper fuit et hodie est, quando pace, ut nulla re alia, ad repellendos Turcarum iniustos conatus est <sup>b)</sup> opus. Eamobrem anno superiore oratores nostros cum plenariae potestatis mandato Ratisbonam ablegavimus ad habendos super pacificatione inter nos et adversarios nostros concilianda tractatus. Ibi vero conditiones pacis propositae nobis sunt inaequabiles et durae adeo, ut si victi iusto bello succubuissemus <sup>c)</sup>, vix potuisset vel atrocius vel inclementius de nobis constitui. Et quidem hac de causa, in conventu Ratisbonensi, de pace non convenit. Reliquum fuit, ut induciarum tractatu experiremur, per quem bellum, si perpetuo non posset, ad tempus saltem suspenderetur. Indutiae vero supra sex mensium spatium obtineri non potuerunt. Ex qua re facile apparet, quantopere

ad pacem <sup>d)</sup> propensi sint, cum quibus nobis res est, quos tamen a pacis tractatione minime abhorrere Maiestas Vestra existimat, sed magis etiam illorum animum irrequietum coarguit, quod postea accidit.

Iam ad kalendas Maii proxime elapsas, cum in urbe Spira inter principes et Imperii status de bello Turcis inferendo consultatio obtineret, nos cum regina Hungariae, domina Maria de prorogandis induciis tractatus exercuimus in urbe Brema. Cum de tempore ageretur et nostri, pacis studio inducti, in aliquot annorum continuationem extendi inducias debere contenderent <sup>+</sup>, ne esset opus eadem de causa saepe convenire et inutiles expensas facere <sup>+ e)</sup>, Burgundiones annum unum nobis obtulerunt tantum, aperte testati, quod propter huius temporis difficultates et ne bellum Turcicum impediretur, annum otium nobis permittere vellent. Ut conicere cuius facile est, si et Turca quiesceret et alia omnia recte haberent, quod ne tantilli quidem temporis spacium, quale obtulerunt, fuerint daturi. Nos igitur, cum non obscure intelligamus, quamprimum ab aliis rebus otium erit, quod negotium nobis facessere velint adversarii, oblato non ex voluntate, sed ex necessitate unius anni <sup>f)</sup> otio uti nolimus. Itaque <sup>g)</sup> inter Caesarem et nos nullae nunc prorsus indutiae sunt, nec possumus permittere, ut per maria nostra aliquid in ditiones Caesaris importetur, ne hostes rerum necessariorum copia armemus, qua instructi, postea nos perditum eant.

Tamen in gratiam Maiestatis Vestrae et hoc faciemus: Subditis Vestrae Maiestatis liberum relinquemus, ut victum per maria nostra querant, navigationem illis, quocumque se conferre velint, permissuri, tantum, ut cautione iusta se obstringant <sup>h)</sup>, quod cursum ad ditiones Caesaris instituire non velint. Idque adeo scripsimus etiam iam ante Dantiscaenis et nunc Maiestatem Vestram rogamus, ut, quod in parte hac facimus, non ex pacis rumpendae studio, sed ex inevitabili necessitate tuendi nos nostraque proficisci sibi persuadeat. Si quid etiam incommodi ex hoc instituto <sup>i)</sup> nostro vel ad mercatores, vel ad externos populos perveniet, ne hoc nobis adscribat, qui et pacem amamus et indutias aliquo annorum numero suffultas acceptare non recusavimus, sed omnia, quae hinc evenire possent, mala <sup>+ adversariis nostris + k)</sup> imputet, per quos stetit hactenus et stat hodie, quod neque pax, neque induciae confectae sunt. Nos, <sup>+ utilem operam et adiutorium etiam Maiestatis Vestrae in bellis nostris praeteritis experti + l)</sup> quacumque re possumus, Maiestati Vestrae libenter gratificabimur. Quam post officiorum nostrorum oblationem <sup>m)</sup>. Deo optimo maximo servandam diu ac foeliciter incolumem commendamus.

Ex Wyburgo nostro, tertia die Junij, anno M<sup>o</sup> D<sup>o</sup> XLII<sup>o</sup>.

[*In eadem pagina, eadem manu, sine exordio:*]

eadem illa gratia serenissimo Principi Domino Sigismundo Regi Poloniae, magno duci Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae etc. Domino et haeredi, amico et affini charissimo salutem cum foelicitate et mutui amoris continuo incremento coniunctam imprecatur. Serenissime Princeps et Domine Amice et affinis noster charissime.

*In dorso manu rec.:* Literae Regis Polonorum expetentis scire, an tractatum sit inter Regem Danorum Christianum et Fridericum Rheni palatinum et hortantis ad pacem propter bellum Turcicum, ne mercimoniorum cursus impediatur. <sup>n)</sup>

*Idem alia manu:* Responsum Regis Danorum.

N. 2.

- |   |  |
|---|--|
| a) <i>Translatum ex margine.</i>                    | i) <i>Translatum ex margine, pro edicto - deletum.</i>         |
| b) <i>Sequitur verbum opus? - deletum.</i>          | k) <i>Translata ex margine, pro verbo illis - deletum.</i>     |
| c) <i>Praecedit verbum concidissemus - deletum.</i> | l) <i>Translata ex margine.</i>                                |
| d) <i>Scriptum supra lineam.</i>                    | m) <i>Translatum ex margine, pro commendationem - deletum.</i> |
| e) <i>Translatum ex margine.</i>                    | n) <i>Desunt haec litterae.</i>                                |
| f) <i>Sequitur verbum spatio - deletum.</i>         | 1) <i>Carolus V.</i>   |
| g) <i>Praecedit verbum Inter - deletum.</i>         |  |
| h) <i>Sequitur verbum nobis - deletum.</i>          |  |

N. 6

*Petricoviae [Piotrków], 25 Augusti 1547.*

*Sigismundus I rex Poloniae,  
ad Christianum III regem Daniae,  
de negotiis diplomaticis cum Carolo V imperatore.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Dei gratia rex Poloniae, supremus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae etc. dominus et heres. Serenissimo principi domino Christiano eadem gratia Daciae ac Gottorum regi regnique Norvegiae regi electo, Holsaciae, Slesviciae, Stormariae Ditmarciaeque duci, comiti in Oldemborgk et Delmenhorst, fratri et affini nostro charissimo salutem et omnis felicitatis continuum incrementum.

Serenissime princeps, domine, frater et affinis noster charissime.

Significavit nobis illustris dominus Albertus marchio Brandemburgensis in Prussiaeque dux, nepos noster charissimus, deliberatum esse Sacrae Maiestati Vestrae ad Caesaream Maiestatem <sup>1)</sup>, fratrem et consanguineum nostrum charissimum legatos iisdem prope de rebus mittere, de quibus nos quoque nostrum oratorem mittere decrevimus. Quae res valde grata nobis accidit et iucunda. Ut autem scire possit Serenitas Vestra, quibus cum mandatis nostris legatus eo noster proficiscetur, brevibus accipiat capita legacionis haec esse:

Ut Maiestas eius illustrem dominum Saxoniae ducem <sup>2)</sup> e custodia, in qua est, liberum dimittat aut eum saltem tractet benignius et de condicionibus, quae illi duriores datae videntur, aliquid remittat.

In eandem sententiam aget legatus noster de domino Iantgravio Hessiae <sup>3)</sup>.

Laborabit etiam de reducendis in gratiam Pomeraniae ducibus <sup>4)</sup>.

Praecipua vero legationis pars erit de abrogando proscricionis decreto, quod ante annos plus minus quindecim a iudicibus Camerae Im-



perialis contra illustrem dominum Albertum, marchionem Brandemburgensem in Prussia ducem latum est.

Haec fere erunt, de quibus cum Caesarea Maiestate nostris verbis orator noster aget. Nunc a Serenitate Vestra petimus, ut, quos ipsa legaverit ad Maiestatem Caesaream, eis in mandatis det, quo consilia sua cum oratore nostro communicent. Sic enim fore speramus, ut minore negotio ea omnia obtenturi sint, de quibus ab utroque nostrum mittuntur. Rem fecerit Serenitas Vestra nobis valde gratam et quae ad augendam et amplificandam mutuam inter nos necessitudinem pertinebit. Bene ac foeliciter valere Serenitatem Vestram optamus.

Datum Piotrcoviae XXV<sup>a</sup> Augusti, anno Domini M<sup>o</sup>.D<sup>o</sup>.XLVII<sup>o</sup>, regni nostri XLI<sup>o</sup>.

Ex commissione  
Maiestatis Regiae propria

*In dorso:* Serenissimo principi domino Christiano Dei gratia Daciae et Gottorum regi regnique Norvegiae regi electo, Holsaciae, Sleszwiciae, Stormariae Ditmarciaeque duci, comiti in Oldemborgk et Delmenhorsth fratri et affini nostro charissimo.

*Alia manu:* Polenschreiben Preussen, Sachssen, Hessen und Pommern bei Rom. Key. Mtt. zu befurdern belangend.  
Productum Copenhagen den XXI<sup>ten</sup> Septembris Anno [MD] XLVII.

1) Scil.: Carolum V.

2) Scil. Mauritium.

3) Scil. Philippus I Magnanimus.

4) Scil. Barnim IX et Philippus I.

N. 7

*In arce Marienburgensi, 7 Septembris 1552.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Christianum III regem Daniae,  
rogat, ut tres naves Hamburgenses, mercibus et bonis onustas et in portu  
Oeresundt pignoratas civibus Gedanensibus reddi iubeat.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Mazoviae etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Christiano eadem gratia Daniae ac Gottorum regi, regnique Norvegiae regi electo, Holszaciae, Slesszwiciae, Sthormariae Ditmarciaeque duci, comiti Oldemborgk et Delmenhorst, fratri et affini nostro charissimo salutem et omnis foelicitatis continuum incrementum.

Serenissime princeps, domine, frater et affinis noster charissime.

Conquesti sunt nobis nonnulli cives nostri Gedanenses, tres nautarum Hamburgensium naves, mercibus et bonis suis onustas in Maiestatis

Vestrae portu, Orisundt nuncupato, praeter omnem suam culpam pigneratas, ultra integrum anni spacium magna sua et temporis et impensarum iactura, detineri. Nos itaque, qui cupiamus et caeteris et maxime potestatis nostrae hominibus nullum unquam temere damnum dari, petimus a Maiestate Vestra, ut, quum praeter suam culpam eas merces pigneratas esse, docere possunt, nullam innocentes culpam culpave penam sustineant, utque merces suas primo quoque tempore Maiestatis Vestrae iussu adipisci possint. Ac confidimus nos quidem, Maiestatem Vestram non solum id, uti postulamus, nostra et aequitatis causa libenter esse facturam, sed etiam praefectis suis imperaturam, ne quid deinceps eiusmodi contra communes regnorum nostrorum pactiones temere audeant committere. Vicissim autem nos operam daturi sumus, ut homines Maiestati Vestrae subditi, qui forte in provinciis nostris negotiantur, similem se in nobis benignitatem experiri profiteantur. Cupimus Maiestatem Vestram quam diutissime valere, cui amorem nostrum mutuum iterum commendamus.

Datum in arce nostra Marienburgensi, die VII<sup>a</sup> Septembris, anno Domini M<sup>o</sup>.D<sup>o</sup>. LII, regni nostri XXIII<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Serenissimo principi, domino Christiano Dei gratia Daniae ac Gottorum regi regnique Norvegiae regi electo, Holsaciae, Slesviciae, Stormariae Ditmarciaeque duci, comiti in Oldemborgk et Delmenhorsth, fratri et affini nostro charissimo.

*Alia manu:* Literae Regis Poloniae commenda[tor]iae pro civibus Gedanensibus propterque naves Hamburgenses in Oressundt pigneratas. Productae Haffniae 23 Septembris anno 1552.

N. 8

*Brzescie Lituanico [Brześć Litewski], 4 Maii 1554.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Christianum III regem Daniae,  
postulat, ut civibus Gedanensibus privilegia, obtenta a regibus Daniae,  
salva et integra conservet, neque hominibus suis quicquam de immunitatibus eorum detrahere permittat.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Christiano, Daniae, Norvegiae, Gottorum, Vandalorumque regi, Schlevici, Olsatiae, Stormariae ac Ditmersiae duci, comiti in Oltemberk et Delmenhorst, fratri et affini nostro charissimo salutem et prosperitatem.

Serenissime princeps, domine, frater et affinis noster charissime.

Missura est civitas nostra Gedanensis nuncios suos, qui in Ansianarum civitatum comitiis de privilegiis suis, quo scilicet ea salva et integra conserventur, una cum caeteris acturi sint. Quoniam autem ea ipsa civitas in regno Serenitatis Vestrae privilegia magnis meritis et multis laboribus a divis Daniae regibus adeptata est, postulamus a Serenitate Vestra, ut, quod alioqui sua sponte factura esset, id nobis amice et fraterne petentibus a se impetrare homines nostros patiatur, privilegia videlicet ipsorum salva ut et integra esse velit, neque de eorum immunitatibus vel ipsa detrahat vel homines suos quicquam detrahare permittat, secundum autem veterem consuetudinem privilegiis suis eos uti ne prohibeat. Cupimus Maiestatem Vestram bene valere.

Datum in Brzeszcie Lituanico, die IIII Maii, anno Domini M<sup>o</sup>. D<sup>o</sup>. LIIII regni nostri anno XXV.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Serenissimo principi ac domino, domino Christiano Dei gratia Danorum, Norwegiae, Wandalorum ac Gottorum regi, duci Sleswicensi, Holsatiae, Stormariae et Dithmariae, comiti Oldenburgensi et Delmenhorstensi etc. fratri et affini nostro charissimo.

*Alia manu:* Literae regis Poloniae Sigismundj Augustj etc. pro civitate Dantiscana etc.

Allatae per legatum civitatis Dantiscanae Constantinum Ferber Otoniae 20 Julij anno 1554.

N. 9

Vilnae, 25 Aprilis 1556.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Christianum III regem Daniae,  
ut tamquam protector archiepiscopatus Rigensis Melchiori Kirchow, civi  
Rigensi, qui a senatu Rigensi multas iniurias passus est, auxilium et  
protectionem praebeat.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, totius Prussiae, Masoviae Samogitiaequae etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Christiano Dei gratia regi Daniae et Norwegiae etc. duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Dithmersiae, comiti in Oldenburgk et Delmenhorsth, fratri et affini nostro charissimo salutem et omnis foelicitatis continuum incrementum.

Serenissime princeps, frater et affinis noster charissime.

Famatus Melchier Kirchow, civis Rigensis, multis iniuriis a senatu Rigensi affectus, quarum magna quoque pars ad rev-mum archiepiscopum Rigensem <sup>1)</sup> pertinet, eas nobis tanquam protectori archiepiscopatus illius questus est, cui nos, quantum recte fieri potuit, ope auxilioque non defuimus. Simul supplicavit nobis, ut ad Serenitatem Vestram, in cuius quoque protectione ille archiepiscopatus est, scriberemus, qua in re quoque negare illi opem nostram noluimus. Commendamus itaque Serenitati Vestrae omnem eius causam, utque auxilio ac autoritate sua illi adesse velit ab ea postulamus. Factura Serenitas Vestra pro tutelae ac protectionis officio et nobis rem gratam. Datum Vilnae, XXV<sup>a</sup> die mensis Aprilis, anno Domini M. D. L. VI<sup>o</sup>, regni vero nostri anno XXVII<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Serenissimo principi, domino Christiano Dei gratia regi Daniae et Norvegiae etc. duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Dithmersiae, comiti in Oldenbu[r]gh et Delmenhorsth, fratri et affini nostro charissimo.

*Alia manu:* Sigismundi Königs von Polen vorschrifft des Melchior Kirchoffn Persohn betreffend.

1) Scil. Wilhelmus, marchio Brandenburgensis.

N. 10

Varsaviae, 7 Octobris 1556.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
Christianum III regem Daniae,  
admonet, ut tamquam co-protector archiepiscopatus Rigensis communit  
ter interveniat in rebus Livonicis, ad pacem restituendam inter archiepiscopum Rigensem Wilhelmum et Gotthardum Kettler Magistrum, Ordinemque Cruciferorum in Livonia.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Mazoviae, Samogittiae etc. dominus et haeres. Serenissimo principi et domino Christiano tercio Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum Gottorumque regi, duci Slesviciae, Holsaciae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri et affini nostro charissimo salutem et mutui amoris ac omnis foelicitatis continuum incrementum.

Serenissime princeps, domine, frater et affinis noster charissime.

Accepimus literas Serenitatis Vestrae, quibus nobis respondet ad ea, quae illi de motibus Livonicis per literas significaveramus et quae per magnificum dominum Joannem Albertum, ducem Megapolensem nunciavimus, per quem eandem Serenitatem Vestram hortati eramus, ut reverendissimo domino archiepiscopo Rigensi, qui bello armisque a magnifico magistro atque Ordine Livonico impeteretur, pro officio protectionis auxilio adversus eorum vim una nobiscum esse velit.

Qua in re Serenitas Vestra usa excusacione officii est negavitque, sese iis armis implicare posse, quae adversus magnificum magistrum atque Ordinem moverentur ac rationes, quibus id sibi plane necessarium esset, exposuit, quae nobis iustae ac legitimae sunt visae. Quod autem etiam nos ad pacem hortatur, equidem, toto regni nostri tempore praecipuum nobis longeque maximum pacis conservandae studium extitit idque propositum semper summa diligencia atque studio tenuimus, ut cum finitimis populis perpetua nobis firmaque pax constaret, neque cuiquam illius violandae ullam causam praebuisse unquam videremur, viresque quaecunq; nobis Dei benignitate obtigissent, quam integerrimas adversus communem nominis Christiani hostem conservaremus, a domesticis quidem bellis, quibus sanguinis Christiani profusio pararetur, nisi necessitate atque iniuria coacti, quam longissime abessemus.

Id, quum semper a nobis factum est, tum hoc quidem tempore maxime, quo omnia a nobis ad pacem tentata sunt, neque ante ad arma decursum, quam nulla alia declinandae inimicorum iniuriae ratio reliqua nobis esset. In ea voluntate, cum semper fuimus, tum ne in praesentia quidem condiciones pacis, ad quam Serenitas Vestra nos hortatur, aspernamur utemurque in amplectenda communi tranquillitate pristino nostro perpetuoque instituto, si illi ab iniuria recedant.

Inprimisque, rev-mum dominum archiepiscopum in libertatem suumque dignitatis locum restituant, deinde nobis iniuriarum nomine ab iis satisfiat. Id, si magnificus magister atque Ordo in animum sibi induerint, facile passuri sumus Serenitatis Vestrae arbitrio omnem controversiam dirimi remque ad condiciones atque pacem deduci, modo id celeriter fiat, neque cunctacione morave interponenda res in longum extrahatur. Sin vero in sententia armorum atque iniuria perstiterint, incumbere nobis officium existimamus, ut et calamitatem reverendissimi domini archiepiscopi et multas eorum in nos iniurias armis atque bello persequamur vindicemusque. A Serenitate autem Vestra postulamus, ut cum illud magnifico magistro dederit, ne arma adversus eum suscipiat, vicissim id rev-mo domino archiepiscopo pro fide atque officio protectionis tribuat, ne eum oppugnet, neve hostes ipsius ullis rebus iuvet. Non dubitamus, quin Serenitas Vestra, quod imprimis officium ipsiusque causae aequitas ab ea postulat, factura sit, gratum cum primis nobis id futurum est vicissimque nostra mutua officia debere illi nos existimabimus. Quam bene ac foeliciter valere cupimus.

Datum Varschoviae, die VII<sup>a</sup> Octobris, anno Domini M<sup>o</sup>.D<sup>o</sup>. LVI<sup>o</sup>, regni nostri XXVII<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo Principi domino Christiano tercio Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum Gottorumque Regi, Duci Slessviciae, Holsaciae, Stormariae ac Ditmer[si]ae, comiti in Eldemburg et Delmenhorsth, fratri et affini nostro charissimo.



Vilnae, 16 Martii 1560.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
postulat, ut prohibeat, ne civitates Lubeca et Hamburg classem in Moscoviam deducant; offert officia sua ad componendam pacem cum rege Sueciae.*

*(Orig., sig.)*

*Textum huius documenti edidit C. Schirren: Neue Quellen zur Geschichte des Untergangs livländischer Selbständigkeit. - Archiv für die Geschichte Liv-, Est- und Curlands, N.F.Bd.X. Reval 1884, Nr. 171, pp. 251-252.*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Frederico eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum Gotorumque regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Ditmersiae, comiti in Eldemburg et Delmenhorst, fratri et affini nostro charissimo salutem et mutui amoris continuum incrementum.

Serenissime princeps, domine, frater et affinis noster charissime.

Significatum est nobis, Lubecum et Hamburgam, maritimas civitates, classem instruxisse omni armorum et commeatum genere refertam, quam primo quoque tempore in Moscoviam deducere cogitent. Quae res, cum solenni iam pridem civitatum illarum consensione prohibita fuerit, tum manifeste quoque in Christianorum regnorum atque imperiorum perniciem spectare videtur. Nam Moscus, perpetuus quidam finitimarum Christianarum gentium populator, si opes praeterea suas hoc tanto bellico apparatu instruxerit, non dubium est, quin ditiones <sup>a)</sup> suae terminos ita amplificare ac proferre possit accisis circumquaque vicinorum regum et principum finibus, ut paulo post eo etiam perveniat, quo minime optaremus. Itaque, cum eos conatus maritimarum istarum civitatum non magis nostris, quam Serenitatis quoque Vestrae dominijs, incommodare arbitraremur, significandos esse pro iure vicinitatis Serenitati Vestrae, existimavimus. A qua etiam atque etiam postulamus et rogamus, ut quantum potest, potest autem profecto plurimum, omni ratione hanc navigationem impediatur, quae ad armandum ac instruendum communem Christianorum hostem magnopere videtur pertinere. In quo nos etiam nostro officio non sumus defuturi.

Allatum est autem ad nos quoque, nonnihil inter Serenitatem Vestram et Suetiae regem simultatis intercessisse. Quae res, cum vehementer communibus Serenitatum Vestrarum ditionibus incommodet, tum nos quoque ipsos non mediocriter perturbat. Quo enim magis Vestris Serenitatibus omnia bene evenire cupimus, hoc magis metuimus, ne istis illorum disensiunculis praebita esse occasio videatur, ad insignem aliquam, quod absit, regnorum illorum perniciem, quae Vestrarum Serenitatum imperio continentur. Si est igitur aliquid, in quo se a serenissimo Suetiae rege offensam Serenitas Vestra arbitretur, in eo nos quidem cognoscendo et componendo non gravate partes nostras interponemus. Nam, si modo

nobis de voluntate Serenitatum Vestrarum constiterit, Gedanum libenter oratores nostros mitemus, qui cum legatis Serenitatum Vestrarum tractent omnia, quae ad veterem inter Serenitates Vestras et communem pacem atque amicitiam restituendam ac firmandam pertinere videbuntur. In quo nullis nostris nec sumptibus parcemus, nec laboribus pro eo quantum Serenitates Vestras amamus et redintegrandi inter ipsas amoris studiosi sumus. Rogamus itaque, ut nos de voluntate sua faciat Serenitas Vestra certiores. Quam bene valere optamus.

Datum Vilnae, die XVI Marcij, anno Domini M.D.LX<sup>o</sup>, regni vero nostri XXXI<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
rex sst.

*In dorso:* Ser-mo Principi, domino Frederico Dei gratia Daniae et Norvegiae regi, Slesviciae, Holsatiae et Starmariae duci, comiti in Oldenburgk et Telmenchorst <sup>b)</sup> etc., amico nostro charissimo.

*Alia manu:* Presentatae Arhusii 22 Aprilis Anno [15]60.

a) sic in ms., corrigendum: dittonis.

b) sic in ms.

N. 12

Vilnae, 10 Maii 1560.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
gaudet de translatione episcopatus Osiliensis a Ioanne Munchhausen  
in principem Magnum, ducem Slesvicensem.*

(Orig., sig.)

*Textum huius documenti edidit C. Schirren: Neue Quellen zur  
Geschichte des Untergangs livländischer Selbständigkeit, vol. II, nr. 186,  
pp. 304-5. (Cfr. N. 11).*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Mazoviae, Samogitiae etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Danorum, Norvegorum, Scavorum, Gottorum regi, duci Slesvici, Holsatiae, Starmariae ac Diethmariae, comiti in Oldenburgo et Delmenhorst, fratri et affini nostro charissimo salutem prosperosque rerum omnium successus. Serenissime princeps, frater et affinis noster charissime.

Redditae sunt nobis literae a Serenitate Vestra, quibus nobis significavit, episcopum Osiliensem <sup>1)</sup> sese eo episcopatu abdicasse atque eius successionem illustrissimo principi domino Magno, haeredi Norvegiae, Sleswici etc. duci, fratri Serenitatis Vestrae summis ordinum suorum

studiis tradidisse. Itaque Illustritatem eius profectam in Livoniam esse ad eius ipsius episcopatus possessionem capiendam. Quo quidem nuncio plurimum laeticiae ac voluptatis cepimus idque tum quod pro nostra vetere cum Serenitate Vestra universaque illius domo coniunctione ac necessitudine omnibus eius fortunis atque honori ex animo faveamus, tum quod non dubitemus, Illustritatem eius, Livoniae, in hoc ipsius afflictio statu permultum opis atque praesidii adferre posse. Itaque plurimum hoc nomine Illustritati eius gratulamur praecamurque, ut ea res illi, subditis totique Livoniae bene ac foeliciter eveniat.

Quod porro Serenitas Vestra nobis Illustritatem eius commendat, lumbenter daturi operam sumus, ut Illustritas eius in omni ratione cuncta officia coniunctionis et necessitudinis nostrae prompta sibi ex nobis parataque semper esse intelligat, id tantum cumprimis vellemus, ut quoniam Livonia in fidem et clientelam nostram suscepta per nos est, Illustritas eius omnia consilia omnesque rationes, quae ad publicum illius statum tuendum pertinebunt, nobiscum communicet ac de eis ad nos referat, quarum quidem, si e communi sententia institutae administrataeque erunt, commodiorem progressum eventumque fore confidimus. Quod quidem Illustritatem eius et sponte sua et inprimis Serenitate Vestra autore facturam atque omnia ad communem harum provinciarum statum tuendum sedulo provisuram suscepturamque esse, non dubitamus. Tandem Serenitatem Vestram foelicem valere cupimus.

Datum Vilnae, decima die mensis Maii, anno Domini M<sup>o</sup>. D<sup>o</sup>. sexagesimo, regni vero nostri anno trigesimo primo.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Danorum, Norwegorum, Scavorum, Gottorum regi, duci Sleswici, Holsatiae, Stormariae ac Diethmariae, comiti in Oldenburgo et Delmenhorst, fratri et affini nostro charissimo.

*Alia manu:* 10 Maij 1560.

1) *Scil. Ioannes Munchhausen.*

N. 13

Vilnae, 2 Ianuarii 1561.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
dolet de statu Livoniae post recentem cladem; urget, ut fratrem, ducem  
Magnum ad pacem cum Ordine et ad cooperationem cum aliis principibus inducat; admonet ad supprimendam audaciam Moscovitarum,  
qui occupationem totius Livoniae intendunt.*

*(Orig., sig.)*

*Textum huius documenti edidit C. Schirren: Neue Quellen zur Geschichte des Untergangs livländischer Selbständigkeit, vol. III, nr. 233, pp. 78-80. (Cfr. nota ad N. 11).*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi et domino Friderico secundo Daniae, Norvegiae regi, duci Schlesvicensi Holsatiae, Stormariae et Ditmariae comiti in Oldenburgk et Delmanhost, amico et fratri charissimo salutem plurimam et mutui amoris nostri ac omnium foelicitatum continua incrementa.

Serenissime rex, domine, amice et frater charissime.

Quam afflictus sit et misere convulsus Livoniae status, videt et intelligit haud dubie Maiestas Vestra. Nam praeter apertas hostiles machinationes et amissionem multorum firmium praesidiorum domestica dissidia et contentiones non mediocriter afflixerunt provinciam hanc et cumulaverunt mala et aerumnas illius. Nam per hanc ipsam contentionem alienissimo et adversissimo Reipublicae tempore per illustrem ducem Magnum, fratrem Maiestatis Vestrae, contra reverendum et magnificentum Ordinis magistrum susceptam stetit, quod et Felina, munitissimum et firmissimum in centro provinciae huius praesidium, in hostis potestatem venerit et infinita multitudo hominum una cum seniore Ordinis magistro <sup>1)</sup> in captivitatem abducta et interneconi data est, audacia vero et insolentia hostis accensa et animus eius satis per se ad reliquam Livoniam occupandam praeceps, tanquam quaedam fax ad destinatum incendium subministrata. Etsi autem nos pro officio nostro protectorio eundem fratrem Maiestatis Vestrae a tam turbulentis consiliis dehortati sumus et rev-mi ac illustres principes archiepiscopus <sup>2)</sup> et eius coadiutor archidiocesis Rigensis <sup>3)</sup> compositionem eorum dissidiorum tentarunt, sed tamen sine fructu. Nam post multas et varias tractationes ultro citroque habitas non sustulerunt e medio mutuam offensionem, sed tantum ad festum Pentecostes <sup>4)</sup> proxime futurum controversiam hanc una cum pactione pacis reiecerunt.

Caeterum, cum intelligamus, eundem fratrem Maiestatis Vestrae ad illam esse venturum, intermittere nolumus, quin ea de re Maiestatem Vestram compelleremus hortari, monere ac adeo instare non dedignetur apud eundem illustrem fratrem suum, ut si <sup>a)</sup> quicquid est controversiae, vel ad ordinariam iuris decisionem ad oportunius Reipublicae <sup>b)</sup> tempus reyciat, vel compromissariae vicinorum principum, ut puta, illustrissimorum Pomeraniae et Prussiae ducum ac adeo nostrae cognitioni permittat et maiorem publicae salutis quam privati commodi rationem in hac parte ducat, ne forte elapso induciarum tempore eius generis quid tentare satagat, quod ipsi parum commodet, misere autem et ad extremum a crudeli hoste divexatae provinciae certum exitium et interitum adferat, eum alioquin praeteritae aestatis clades documento illi esse possunt, quam non recte inter <sup>c)</sup> aliena eademque hostilia arma proprium quisque ius suum vendicet.

Quod autem ad rev-dum et magnificentum dominum Ordinis magistrum, Gothardum Kethlerum attinet, scimus, eum et facilem se ad eam rem praebere et in eam sententiam ire pedibus, quod arbitrariae vicinorum principum sententiae stare omnino velit. Factura igitur est Maiestas Vestra et pro officio suo in fratrem, si illum ad tranquilliora consilia cohortata

fuerit et pro charitate in Rempublicam, si exulcerata illius vulnera non tam exasperare, quam sanare in animum suum auctoritate Maiestatis Vestrae adductus induxerit ille. De reliquo cupimus, Maiestatem Vestram optata valetudine et florentibus rebus omnibus perfrui.

Datum Vilnae, secunda mensis Januarij, anno Domini M<sup>o</sup> D<sup>o</sup> LXI<sup>o</sup>, regni nostri XXXI<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi et domino Friderico secundo Daniae et Norvegiae regi, duci Schlesvicensi, Holsatiae, Stormariae et Ditmariae, comiti in Oldenburgk et Delmanhost, amico et fratri charissimo.

- a) ut si - lacuna in ms.  
b) R . . . . cae in ms.  
c) . . . . ter in ms.

- 1) Scil. Wilhelmus Fürstenberg.  
2) Scil. Wilhelmus, marchio Brandenburgensis.  
3) Scil. Christophorus de Mecklenburg, coadjutor archiep. Rigensis.  
4) Scil. ad diem 25 Maii 1561.

N. 14

Vilnae, 2 Februarii 1561.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
rogat, ut Ulrichum Linck, civem Augustanum et eius participes in  
contribuendis a cupro theloneis eo iure uti permittat, quo tempore  
regis Christiani III fruebantur.*

(Orig., sig.)

T.K.U.A. Polen. A.I.1.

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico eadem gratia Daniae, Norvegiae, Gothorum Vandalorumque regi, Schlesvici, Holsaciae, Stormariae ac Ditmersiae duci, comiti in Oldenburg et Delmenhost, fratri et affini nostro charissimo salutem et omnis foelicitatis contiguum incrementum.

Serenissime rex, domine, frater et affinis noster charissime.

Cum non ita pridem generosus Ulrichus Linck, civis Augustanus, cum suis participibus a Caesarea Catholica Maiestate <sup>1)</sup> patre nostro charissimo, negotiationem cupri administrandam suscepisset: ex gratia nostra depositorium eiusdem in civitate nostra Cracoviensi illi concessimus facultatemque dedimus ipsum per regnum et dominia nostra, salvo tamen theloneo, quod ex antiquo ab eiusmodi cupro solvi est solitum vehendi et distrahendi. Quoniam autem primo ineunte vere negotiationem suam iam exercere instituerunt, supplicarunt pro illis

certi senatores nostri, interponeremus postulationem ad Maiestatem Vestram, ut in contribuendis a cupro theloneis eo iure illos uti liceret, quo a serenissimo olim Christiano rege, patre Maiestatis Vestrae, Matthias olim Manlich anno domini millesimo quingentesimo quadragésimo octavo cum negotiationis eius complicitibus fuerunt dotati, ut scilicet a quolibet lasto cupri triginta centenariorum ponderis, praesertim vero per locum, qui Sondt dicitur, nomine thelonei aureus Rhenensis in auro ponderetur. Qua re preces senatorum nostrorum obaudire, ut aequitati consentaneas, volentes, a Maiestate Vestra postulamus, ut exemplo serenissimi olim patris Maiestatis Vestrae eam erga praefatum Ulrichum Linck sociosque eius gratiam exhibeat cuprumque illorum sub simili theloneo, quod ante pendebatur, in regnum eiusdem invehi, quamdiu eandem negotiationem exercuerint, permittat. Quibus in rebus vicissim illi observantiam et obsequia sua erga Maiestatem Vestram serenissimam testata reddere potuerint paratissimos sese offerunt. Optamus Maiestatem Vestram diu et foeliciter valere.

Datum Vilnae, die secunda mensis Februarii, anno Domini M<sup>o</sup>D<sup>o</sup>LXI<sup>o</sup>, regni nostri anno XXXI<sup>o</sup>.

Philippus episcopus Cracoviensis  
et vicecancellarius Regni sst.

*In dorso:* Serenissimo principi domino Friderico Dei gratia Daniae, Norvegiae, Gothorum Vandalorumque regi, Schlesvici, Holstaciae, Stormariae ac Ditmersiae duci, comiti in Oldenburg et Delmenhost, fratri et affini nostro charissimo.

*Alia manu:* 2 Februarii 1561. Vorschrift vor etzliche Burger v. Augspurg den kuppfer Zoll im Sundt belangendt.

1) Scil. Ferdinandus I.

N. 15

Vilnae, 7 Novembris 1561.

*Sigismundus Augustus, rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
ut Eberhardum Ducker, civem de Parnavia in Livonia, in recuperatione  
pecuniae, quam olim episcopo Osiliensi Ioanni Munchhausen, praedecessori ducis Magni mutuo praestitit, adiuvet.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.I.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeque etc. dominus et heres. Serenissimo principi, domino Friderico eadem gratia Daniae, Gottorum et Norvegiae regi, Holstatae, Sczlesviciae, Stormariae, Ditmariaeque

duci, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri et amico nostro charissimo salutem et omnis foelicitatis continua incrementa.

Serenissime rex, frater et amice noster charissime.

Expositum est nobis per consiliarios nostros nomine nobilis Eberhardi Ducker, senioris Livoniae equitis, subditi nostri, civitatis nostrae Peronae, dedisse illum mutuo quatuor millia Ioachim daleros olim reverendo Ioanni a Munchhausen <sup>1)</sup>, quondam episcopo Osziliensi, immediato antecessori fratris Maiestatis Vestrae, illustris et reverendi Holstatae ducis Magni, idque in usum et necessitatem arduam episcopatus ipsius Osziliensis, qua de re sufficienter et idonee cautum illi esse per literas obligationis praefati olim episcopi et capituli Osziliensis.

Verum, antequam ea summa persoluta illi esset, intercessit inter reverendum olim episcopum Osliensem Joannem a Munchhauszen et Maiestatis Vestrae fratrem, illustrem dominum Holsatae ducem Magnum certus contractus et traditio episcopatus illi facta est, cui etiam se aliquoties supplicasse eo nomine affirmat ac una cum illo causam eius egisse rev-mum dominum archiepiscopum Rigensem <sup>2)</sup> et reverendum et magnificum Theutonici Ordinis magistrum <sup>3)</sup> in Livonia, sed tamen nihil hactenus impetrare et reportare illum potuisse. Ideo nobis humiliter explicatum existit per eosdem consiliarios nostros, ut partes et intercessionem nostras apud Maiestatem Vestram pro eodem Eberhardo creditore interponeremus, author, monitor et hortator esse velit Maiestas Vestra eidem illustri fratri suo domino duci Magno, qui et successor est in episcopatu et in cuius evidentem necessitatem illa pecunia mutuo accepta erat, ut eam illi, iuxta quam aequum ac par est, reponat, si non ex redditibus episcopatus, saltim ex residua pecunia praefati reverendi Ioannis a Munchhauszen, quae penes eundem dominum ducem Magnum relicta adhuc esse dicitur. Quae res, quoniam in dispositionem iuris cadit et cum iustitia ac aequitate naturali congruat, non dubitamus, Maiestatem Vestram serio eam rationem cum illustri fratre suo inituram esse, ut huic viro bono de credita pecunia satisfiat, ne eius facilitas fraudi illi et detrimento esse possit. De quo iterum atque iterum Maiestatem Vestram diligenter et officiose compellamus ac ut eadem firma valetudine et florentibus rebus omnibus perfruatur cupimus, nosque eius fraterne commendamus benevolentiae.

Datum Vilnae, septima mensis Novembris, anno M D LXI, regni nostri vero XXXII.

Nicolaus Radzjwjl Palatinus Vilnensis  
M. Cancellarius mp. sst.

*In dorso:* Serenissimo principi, domino Friderico Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, Sczleviciae, Holstatae, Stormariae Ditmariaeque duci, comiti in Oldenburgk et Delmenhorst, fratri et amico nostro charissimo.

1) *Alias Mönichhausen.*

2) *Scil. Wilhelmum.*

3) *Scil. Gotthard Kettler.*



Vilnae, 26 Iunii 1562.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
Reimpertum Gilsemium, a se missum, accreditat.*

*(Orig., sig. vest.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeque dominus et haeres. Serenissimo principi et domino Friderico secundo eadem gratia Danorum, Norvegiorum, Gottorum Wandalorumque regi, duci Sczleswitiae, Holsatiae, Stormariae, Dithmariaeque, comiti in Oldenborgk et Delmenhorst, fratri et affini nostro charissimo salutem plurimam et perpetuae foelicitatis continua incrementa.

Serenissime princeps, domine, frater et affinis noster charissime.

Huius legati nostri, doctoris Reimperti Gilsemij perspexisse nobis videmur non minus in nos, quam in Serenitatem Vestram fidem; siquidem in aula serenissimi olim Cristiani, regis Daniae, parentis Serenitatis Vestrae, versatus est. Ideo illi ad publicam legationem, quam exponere debet, secretiorem quoque legationem commisimus. Qua re postulamus, ut eum benigne, semotis arbitris, non tamen secretiori consilio suo audire et quae nostro nomine retulerit fidem dictis adhibere dignetur, reque cognita citra ullam moram ad nos remittere. Cupimus tandem Serenitati Vestrae firmam et florentem valetudinem et foelicitatem nosque illius fraterno amori commendamus.

Datum Vilnae, XXVI Iunii, anno Domini M<sup>o</sup> D LXII<sup>o</sup>, regni vero nostri XXXIII<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi et domino Friderico secundo Dei gratia Danorum, Norvegiorum, Gottorum, Wandalorumque regi, duci Sczleswitiae, Holsatiae, Stormariae, Dithmariaeque, comiti in Oldenborgk et Delmenhorst fratri et affini nostro charissimo.

*Alia manu:* Litterae fiduciariae pro D. Gilsemio.  
26 Junij 1562.

Vilnae, 31 Maii 1563.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
diem et locum conventus commissariorum suorum cum commissariis regis  
Daniae statuit.*

*(Orig., sig. vest.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae Livoniaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Schlesvitiae, Holsatiae, Sturmariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg <sup>a)</sup> et Delmenhorst, fratri et affini nostro charissimo salutem et mutui amoris continuum incrementum.

Serenissime princeps, domine, frater et affinis noster charissime.

Ad ea capita, quae per Serenitatem Vestram in deliberationem communium utriusque nostrum commissariorum proposita sunt, constitueramus commissarijs nostris diem vigesimam septimam Iunii, ad quam diem Sundij in Pomerania eos adesse volueramus. Verum, significatum nuper nobis est, quosdam ex iis, aliis quibusdam negocijs Reipublicae impediri, quominus ad diem constitutum Sundijs adesse possint. Itaque, necessarie tempus esse proferendum, arbitrati, ad Serenitatem Vestram eas literas mittere volumus, ut, si ita illi videretur, conventum hunc communium commissariorum nostrorum ad diem duodecimam Julij Serenitas Vestra differat, ad illudque tempus suos commissarios venire eo faciat. Nos quoque ad idem tempus nostros cum facultate tractandi de omnibus missuri sumus. Serenitatem Vestram bene valere cupimus.

Datum Vilnae, die ultima mensis Maij, anno Domini M. D. LXIII<sup>0</sup>, regni vero nostri XXXIII<sup>0</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Schlesvitiae, Holsatiae, Sturmariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri et affini nostro charissimo.

*Alia manu:* C. No. Productae Flensburgii <sup>b)</sup> Julij Anno 63.  
Jungstes Polnisches Schreyben <sup>c)</sup> C . . . . No.  
Vide <sup>d)</sup>

*Item altera manu: Litterae fiduciales* <sup>c)</sup> ultima Maij 1563.

Petit diem Sundij ad 27. Junij dictam <sup>f)</sup> prorogarj ad 12 Julij.

a) Oldenburgurg - in ms. evidenter lap. cal.

b) *Lectio incerta, in ms. Flensb?*

c) *Sequitur verbum illegibile - mith?*

d) *Sequitur verbum illegibile - . . . . dam?*  
*schedam aut scidam?*

e) *Verba deleta.*

f) *Lectio incerta - diem eam.*

N. 18

Vilnae, 13 Iunii 1563.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Franciscum Russoczi, Gabrielem Grabowiecki et Michaellem Brunnow  
eos commissarios in negotio cum rege Daniae constituit.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeque etc. dominus et haeres.

Generosis et nobili Francisco Russoczi, castellano Naclensi ac consiliario nostro, Gabrieli Grabowieczki, capitaneo nostro Mlavensi et Michaeli Brunno, secretario, fidelibus dilectis gratiam nostram.

Fideles nobis dilecti.

Cum magnae admodum causae extent, cur nos unaque nobiscum serenissimus princeps, dominus Fridericus secundus eadem gratia Daniae rex etc. bellum Sueciae regi indicere necesse habeamus, constituimus ex utriusque nostrum summa voluntate, societatem belli inter nos inire, eoque modo iniurias nostras persequi. Ad cuius quidem societatis rationes constituendas indiximus, communi Serenitatis eius sententia, conventum nunciorum et commissariorum communium nostrorum Sundini, in ditone illustrium dominorum ducum Pomeraniae ad diem duodecimam Julij. Itaque eiusmodi negocium constituendae societatis rationumque ipsius Fidelitatibus Vestris, quarum fidem et in rebus gerendis usum ac peritiam commendatam habemus, committendum duximus, committimusque per praesentes literas, mandantes Fidelitatibus Vestris, ut Sundium pro duodecima Julij se conferant ibique cum nuncijs et commissarijs Serenitatis eius tractationem de rationibus ineundae societatis pro fide et officio suo erga nos instituant, eandemque institutam prosequantur et tandem ex re ac dignitate, tum nostra, tum Reipublicae perficiant omniaque faciant, quae ad eam rem quovismodo pertinere videbuntur, unius Fidelitatum Vestrarum absentia non obstante. Quicquid autem per Fidelitates Vestras institutum, actum ac determinatum fuerit, id nos ratum et gratum sumus habituri, aliter non facturae Fidelitates Vestrae pro gratia nostra.

Datum Vilnae, die XIII Junij, anno Domini M.D.LXIII<sup>o</sup>, regni vero nostri anno XXXIIII<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

Caunae, 5 Iulii 1563.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de bello contra regem Suetiae*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesvitiae, Holsatiae, Sturmariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenchorsth, fratri et affini nostro charissimo salutem prosperosque rerum omnium successus.

Serenissime princeps, domine, frater et affinis noster charissime.

Ex literis Serenitatis Vestrae intelleximus ea, quae inter Serenitatem Vestram et Suetiae regem <sup>1)</sup> suboriri videntur, inimicitiarum et bellorum futurorum initia, in quo quidem gratissimum nobis fuit officium Serenitatis Vestrae, quae nos de iis certiores fieri voluerit. Etsi enim pro singulari nostra et optima in Serenitatem Vestram voluntate cuperemus, ut Serenitatis Vestrae res ac rationes omnes eo loco essent, ut tutae ac securae nullis unquam hostilibus inimicijs tentarentur, tamen, pro iure vicinatis et mutuae amicitiae nostrae, gratissimum est nobis de omni tandem statu ac conditione illarum cognoscere, ad nosque perferri. Illud plane nobis probatur, Serenitatem Vestram, quemadmodum lente atque adeo cunctanter ad suscipienda belli consilia progrediebatur, neque ulla sibi rationes ad componendas prius quietis consilijs mutuas controversias intermittendas existimabat, ita posteaquam aliis remedijs locum esse non videt, tanto et tam expedito apparatu bellum instruere, iuri et rebus ablatis repetendis. In quo, ut Serenitas Vestra persistat, illam etiam atque etiam hortamur.

Non possumus autem satis demirari regis istius animum atque ingenium, qui ita exiguum et suarum et communium rerum ducat rationem, ut in vicinum quemque regem incurrere et omnia caedibus ac sanguine miscere non dubitet. Nam et nos quoque ipsi paulo ante id tempus ita ab eo tractati sumus, ut postposita omni recentis affinitatis memoria, quam ad ipsius postulata cum fratre ipsius, illustri Finlandiae duce contraximus <sup>2)</sup>, nullo nobis denunciato ac indicto bello, Livoniam provinciam nostram invaserit, arcesque in ea aliquot ceperit, plures ad defectionem sollicitaverit, omnibus pene excidium minatus fuerit. Quod, etsi nos nobis hactenus tum propter occupationes alias nostras, tum propter pacem ac tranquillitatem publicam, dissimulanter ferre existimaverimus, tamen, cum alijs remedijs ius nostrum apud eum regem obtineri non possit, bello tandem res nostras repetere exercitumque in Livoniam, Deo fortunante, adducere decrevimus.

Nuncque adeo, cum literae nobis a Serenitate Vestra redderentur, Caūnae Germanicas equestres et pedestres mercede conductas copias recensebamus, cum interim ex nostris hominibus iusti exercitus per Poloniam et Lituaniā alijs in locis conscriberentur. Et quoniam Serenitatem quoque Vestram rebus suis non esse defuturam et olim per nos ipsi facile providebamus, et nunc in ea opinione literis ipsius magnopere confirmamur, quod olim nostrae Gedanensium civitati imperaveramus, ut ad prohibendos Suecorum transitus naves aliquot paratas ac instructas haberet, id nunc iterum libenter facturi Vestraeque Serenitati, ut eo gratificari sumus. Reliqua de voluntate nostra in hoc genere cognoscet Serenitas Vestra ex commissariis suis, quos Sundium ad communem conventum ad diem XII Julij ablegatura erat, quem quidem conventum, quantum ex his literis Serenitatis Vestrae suspicamur, arbitramur et ad transigendum de rebus communibus expeditum et ad reliqua omnia peraccommodatum fore. Interim Serenitatem Vestram optime valere cupimus.

Datum Caūnae, die V Julij, anno Domini M.D.LXIII, regni vero nostri XXXIII.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico secundo, dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Sturmariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri et affini nostro charissimo.

*Alia manu :* Productae Sontag 25 Julij anno [15]63.

1) *Scil. Ericus XIV rex Sueciae.*

2) *Scil. Ioanne Wasa.*

*In ordine archivistico sequitur has litteras post scriptum ipsius regis Sigismundi Augusti ad regem Fridericum II:*

Affertur ad nos, Serenitatem Vestram classem paratam iam ac instructam habere, quae licentiam ac latrocinia in mari prohibeat. Quod propositum Serenitatis Vestrae, cum nostri quoque quidam homines, praeterea etiam subditi illustris domini Prussiae ducis, consobrini nostri charissimi <sup>1)</sup>, imitari et pro facultatibus suis adiuvari instituerint, a Serenitate Vestra postulamus, ut voluntatem hanc et conatus illorum commendatos habeat suaeque ipsius classis praefectis commendatos inprimis reddat, ut eos non solum socios et amicos suos esse intelligant, sed ut etiam, si quibus in rebus praesidio suo indigerint, deferre id ac praestare illis non dubitent. Erit id nobis a Serenitate Vestra vehementer gratum pertinebitque ad auspiciata initia societatis eius, quam cum Serenitate Vestra Deo bene fortunante propediem initari sumus.

1) *Scil. Alberti.*

Vilnae, 14 Augusti 1563.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
Friderico II regi Daniae,  
de bello contra regem Suetiae, deque rumoribus de pace separata inter  
Daniam et Suetiam*

*(Orig., sig. vest.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Halsatae, Sturmariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri et affini nostro charissimo salutem prosperosque rerum omnium successus.

Serenissime princeps, domine, frater et affinis noster charissime.

Existimamus memoria tenere Serenitatem Vestram, quemadmodum paucis ante mensibus, cum non magis nos ipsi, quam Serenitas quoque Vestra, iniuriis a Sueciae rege afficeremur, neque viam aut rationem inveniremus ullam, modum aliquem his iniuriis cum bona ipsius gratia imponendi, societatem inire inter nos decreverimus, persequendi adversus eum regem iuris nostri. Cuius etiam societatis non vulgaria hactenus esse iacta fundamenta, Serenitas Vestra non ignorat.

Nunc adfertur ad nos, exorta esse quorundam hominum atque excitata studia ad constituendam scilicet inter Serenitatem Vestram et Sueciae regem pacificationem et ad inhibendos eos progressus belli, quibus Serenitas Vestra iniurias suas persequi dudum in animo constitutum habebat. Quod nobis quidem, etsi ipsum per se iniucundum non esset, propterea quod nos quoque et pacem ipsi cum omnibus hominibus libenter colamus et vigere eam inter principes et reges Christianos imprimis cupiamus, tamen, quoniam inter capita societatis istius nostrae illud quoque propositum esse ab ipsa Serenitate Vestra meminimus, ut neuter nostrum de pace aut danda, aut accipienda posset quicquam sine alterius ad eam rem voluntate et consensu cum Sueciae rege statuere, existimavimus, nobis esse faciendum, ut per hunc nostrum nuncium, quicquid id esset, quod ad nos rumoribus, hominibus perferretur, Serenitati Vestrae significarem. Etsi enim ita <sup>a)</sup> nobis persuademus de Serenitate Vestra nihil illam adversus ea co[m]munituram <sup>b)</sup> esse, quae inter nos semel conventa sunt, tamen rumores quoque ipsos, qui apud nos in eo genere exaudirentur, putavimus ad Serenitatem Vestram perferri oportere, vel ob id maxime, ut simul etiam de successu belli nostri, quod in Livonia gerendum suscepimus Serenitatem Vestram certiore faceremus, ad quam, intelligimus, omnis in hoc genere fortunae conditionisque nostrae participationem ex inita societate communi, pertinere.

Nam cum paulo ante partem copiarum nostrarum in Livoniam missemus ad tentandam praesidiorum quorundam Suedicorum oppugnationem, Marte nobis belli aspirante, vel potius Deo nobis favente Optimo et Maximo, Christoferum, Megapolensem ducem, ipsius Suedici exercitus in illa provincia praefectum, in potestatem nostram venire per deditio- nem coëgimus. Qui, etsi beneficijs aliquot insignibus a nobis ornatus, coadiutor etiam Rigensis archidioecesis per summam gratiam et benevo- lentiam nostram designatus esset, tamen Suedo se hosti nostro coniun- gere ordinesque adversus nos ducere non dubitavit. Quamobrem tenetur quidem ille a nobis in custodia eiusmodi, ut et nos esse regem Christia- num et ipsum illum ex principibus Christianis meminerimus, sed tamen ad ingratum ipsius animum erga nos aliquo modo retundendum nihil praecipitanter agere decrevimus, priusquam de eo, tum ad alios Christia- nos principes ac reges, socios et amicos, tum etiam ad Serenitatem Vestram referamus. Existimamus enim, non defuturos esse ex necessarijs ac pro- pinquis ipsius, qui factum nostrum fortassis aliter apud Serenitatem Ves- tram interpraetari et in invidiam adducere conabuntur. Cuius facti rationem, cum ex nobis Serenitas Vestra iam cognoverit et ipsis quidem illis, quatenus opus esse existimaverit, respondebit et nos denique de sententia sua faciet primo quoque tempore certiores.

Nos adhuc, cum haec scribebamus, de ratione conventus commu- nium commissariorum nostrorum Sundij ad diem constitutam celebrati, nihil prorsus cognitum habebamus. Bene valere Serenitatem Vestram cupimus.

Datum Vilnae, die XIII Augusti, anno Domini M. D. LXIII, regni vero nostri anno XXXIII.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Da- niae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesvi- ciae, Halsatiae, Sturmariae ac Dithmarsiae, comiti in Olden- burg et Delmenhorst, fratri et affini nostro charissimo.

*Alia manu:* Productae Warbergae 25 Septembris anni [15]63.  
Polo. <sup>c)</sup> Ducem Christophorum Megapolensem  
Pacificationem Rostochianam con..... <sup>d)</sup>

*Item altera manu:* XIV Augusti 1563 de tractatione Rostochii et capti- vitate Christopheri Megapolensis.

a) *Lectio dubia.*

b) *Lacuna, lectio incerta.*

c) *Sane Polo[nica].*

d) *Lacuna, sane concernentia.*

Vilnae, 23 Augusti 1563.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
nuntiat, se maritimis civitatibus facultatem dedisse debellandi naves  
Suecorum praedamque agendi; commendat Wqsowicz et Szerpingum  
(Orig., sig. vest.)  
T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae Livoniaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Schlesvitiae, Halsatiae, Sturmariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorsth, fratri et affini nostro charissimo salutem et mutui amoris continuum incrementum.

Serenissime princeps, domine, frater et affinis noster charissime.

Dederamus antea ad Serenitatem Vestram literas, quibus illam certior faciebamus, nos maritimis omnibus civitatibus nostris facultatem concessisse, ut si quis aut privatim ex his, aut publice eam in se provinciam ultro vellet recipere, ut naves Suecorum grassantes ac comentes, pro virili parte sua inhibeat, huic per nos quidem ita id licitum sit facere, ut praedam etiam omnem, quae his navibus Suedicis contineretur, suam propriam fore intelligat. Si qui autem eiusmodi reperirentur sive ex nostris, sive ex illustris domini Prussiae ducis, consobrini nostri charissimi, subditis, eos omnes Serenitati Vestrae commendabamus, quam, intelligebamus, iusta classe bellum hoc anno adversus Sueciae regem mari gesturam esse. Et quoniam edocti sumus, cum plerosque alios, tum etiam Vansowicz et Szerpingum quendam subditos nostros eam provinciam libenter desumpsisse, duasque iam naves Suedicas interceptisse, commendamus nunc etiam hos duos et reliquos eiusmodi Serenitati Vestrae ab eaque petimus, ut classis suae praefectis praecipiat, ut has eiusmodi naves nostrorum hominum benevolentia et studio suo prosequantur.

Caeterum, quoniam magistratus civitatis nostrae Gedanensis nobis significavit, interpellari se a Serenitate Vestra ad navium quarundam praestationem, quae ad bellum armis atque militibus instructa essent, quasi id facere mandato nostro teneantur, scire volumus Serenitatem Vestram, nos id civitati illi neque imperavisse, neque adeo imperare posse, invitis ipsis atque nolentibus. Neque enim ex voluntate et arbitrio, sed ex legum praescripto et maiorum institutis, populis nostris omnibus imperamus, neque eos sane ad alia onera adigere aut possumus, aut solemus, quam quae aut leges et maiorum instituta ipsi imponunt, aut ipsi ultro ex singulari sua erga nos fide atque observantia in se recipiunt.

Quod superest, Serenitatem Vestram optime valere cupimus.

Datum Vilnae, die XXIII mensis Augusti, anno Domini M<sup>o</sup>. D<sup>o</sup>. LXIII<sup>o</sup>, regni nostri anno XXXIII<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.



*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gothorum regi, duci Schlesviciae, Halsatiae, Sturmariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorsth, fratri et affini nostro charissimo.

*Alia manu:* Productae Flensburg den XI Octobris anno [15]63.

*Item alia manu:* 23 Augustj 1563. NB. wegen der Dantziger schiffe.

*Post scriptum alia manu:*

Si eo forte ventum erit, ut Serenitati Vestrae ab armis discedendum sit, postulamus a Serenitate Vestra inter caetera, ut in dimissione militum iusiurandum ab omnibus Serenitas Vestra exigi iubeat, ipsos neque adversum nos, neque adversum foederatos nostros stipendia uspiam merituos esse.

Idem nos enim quoque pro Serenitate Vestra ipsiusque foederatis in dimittendis militibus nostris facturi sumus. Atque adeo, ut constet, Serenitati Vestrae de foederatis nostris praeter populos, qui antiquitus ditione nostra continentur, hos interea principes nominatim Serenitati Vestrae edere visum est: Albertum seniore, marchionem Brandeburgensem in Prussia ducem; duces omnes Pomeraniae <sup>1)</sup>; Joannem, ducem Finlandiae; et Gottardum, ducem Curlandiae, nostrum in Livonia gubernatorem.

Cupimus autem a Serenitate quoque Vestra certiores vicissim fieri de nominibus foederatorum Serenitatis Vestrae.

1) Scil. Barnimum IX, Ioannem Fridericum, Boguslaum XIII, Ernestum Ludovicum.

N. 22

Vilnae, 16 Octobris 1563.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
postulat, ut navis civium Gedanensium Gregorii et Mathiae Gade ad usus  
bellicos detentam iisdem civibus restitatur.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaequae etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesvitiae, Halsatiae, Sturmariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri et affini nostro charissimo salutem prosperosque rerum omnium successus.

Serenissime princeps, domine, frater et affinis noster charissime.

Retulerunt nobis famati Gregorius et Mathias Gade, fratres, cives Gedanenses, navem ipsorum propriam, satis amplam, per homines Serenitatis Vestrae primum ad bellica obsequia praestanda detentam, deinde ad usus bellicos acceptam abductamque esse. Quam, cum hoc tempore repetere constituissent, ut a nobis eorum hoc negotium Serenitati Vestrae commendaretur, quo vdct. faciliorem se ipsis Serenitas Vestra in ea recuperanda praestaret, precibus a nobis contenderunt. Quas eorum preces nobis minime reiendas esse existimavimus, cum officij nostri regij esse censeamus subditorum nostrorum commodis consulere. Quamobrem Serenitatem Vestram pro amicitia, quae nobis cum ipsa intercedit, postulamus, ut iisdem subditis nostris facilem et aequum in ea nave restituenda se praebere rationemque cum communis nostrae amicitiae, tum et ipsius humanitatis habere velit, quod hi subditi nostri pleraque eius generis incommoda hoc anno perpessi sint. Quod quidem, ut nobis de amicitia Serenitatis Vestrae facile pollicemur, ita ad quamcunque occasionem de ipsa bene merendi vicissim nos esse paratissimos libenter profiteamur. Quam in multos annos valere cupimus.

Datum Vilnae, die XVI Octobris, anno Domini M.D.LXIII<sup>o</sup>, regni vero nostri XXXIII<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Halsatae, Sturmariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri et affini nostro charissimo.

*Alia manu:* 16 Octobris anni 1563.

N. 23

*Varsaviae, 5 Decembris 1563.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de duce Ioanne Finlandiae deque eius uxore Catharina Jagellonica*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Schlesvitiae, Halsatae, Sthurmatiae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri et affini nostro charissimo salutem et omnis foelicitatis incrementum.

Serenissime princeps, domine, frater et affinis noster charissime.

Antea ex rumoribus, nunc autem quoque ex literis Serenitatis Vestrae intelligimus, illustrem principem, dominum Joannem Finlandiae ducem, affinem nostrum charissimum a fratre, Suecorum rege <sup>1)</sup> captum et in custodiam abductum esse, illustrissimam autem sororem nostram <sup>2)</sup>, coniugem ipsius atque omnis fortunae participem in luctu quoque ac maerore apud regem illum esse. Quodsi praeterea, quemadmodum alij quoque nobis nunciant, dux ipse Finlandiae ex ictu globi bombardici occubuit sororemque nostram viduam reliquit, intelligit Serenitas Vestra, quanto hunc luctum ac maerorem ipsius morte mariti adauctum esse, oportuit. Qua ex re, quantum etiam ad nos ipsos redundet doloris, tum ex adversis ipsis sororis affinisque nostri casibus, tum ex immanitate hac tanta Suecorum regis, Serenitatem Vestram pro sua prudentia intelligere, arbitramur.

Augetur autem quoque hic dolor noster ex eo magnopere, quod cum sororis huius affinisque nostri causa omnia facere cupiamus, in eius tamen hominis potestate eos esse videmus, cui nos scribere neque propter inimicitias, quas cum illo iniurijs, ut scit Serenitas Vestra, provocati exercemus, debemus, neque propter illius intolerabilem superbiam inducere in animum possumus. Quamobrem a Serenitate Vestra pro mutua nostra tum veteri cum Regno Serenitatis Vestrae, tum recenti hac quoque cum ipsa Serenitate Vestra coniunctione, petimus, ut nobis consilium suum, quid porro faciendum nobis esse in hoc genere existimet, impertiat causamque sororis et, si vivit, ipsius etiam affinis nostri vel nostra saltem causa adiuvet, neque permittat, ut Suecus ad veteres iniurias hanc etiam nobis apponat novam, ut sicut antea pedem in possessiones nostras contra omne ius inferebat, ita nunc propinquis affinibusque nostris manus violentas adferre videatur. Erit nobis offitium hoc Serenitatis Vestrae quam gratissimum. Quam bene valere cupimus cuique benevolentiam nostram etiam atque etiam commendamus.

Datum Varscheviae, V die mensis Decembris, anno Domini M.D.LXIII<sup>o</sup>, regni vero nostri XXXIIII<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Serenissimo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Schlesvitiae, Halsatiae, Sthurmatiae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenchorst, fratri et affini nostro charissimo.

*Alia manu:* Productae Flensbu[r]gi 20 Januarii Anno [15]64.  
Literae Poloniae regis Ducem Finlandiae concernentes.

*Item alia manu:* 5 Decembris 1563 wegen hertzog Hansen in Finlandt gefengniss.

1) Scil. Erico XIV.

2) Scil. Catharinam.

Varsaviae, 10 Decembris 1563.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de mutua societate cum eo stabilita, de Christophoro duce Megapolensi et  
Ioanne a Tęczyn, captivis  
(Orig., sig.)  
T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Livoniaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Halsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri et affini nostro charissimo salutem prosperosque rerum omnium successus.

Serenissime princeps, domine, frater et affinis noster charissime.

Quae ex proximis Serenitatis Vestrae literis de societate nostra mutua a communibus commissarijs stabilita iam et firmata intelleximus, eadem ex commissarijs ipsis nostris ad nos reversis et ex iis literis, quas secum inde attulerunt, pridem cognoveramus. Illud unum in literis Serenitatis Vestrae erat in hoc genere praecipuum, de quo tamen antea quoque minime dubitabamus, daturam esse Serenitatem Vestram operam, ut se esse principem et pactorum servantissimum et nostri amicissimum per omnem occasionem declaret ac demonstret. Quod item, ut sibi de nobis Serenitas Vestra persuadeat, magnopere cupimus. De successu belli et negotiorum suorum, quod nos Serenitas Vestra certiores faciat, pergratum est nobis. Cupimus equidem, ut Serenitati Vestrae omnia succedant ex animi sententia.

Nos hic adhuc Christopherum Megapolensem ducem in custodia habemus. Cuius liberandi gratia per conditiones venit ad nos illustris frater eius, dominus Albertus Megapolensis dux, facultate a nobis impetrata. Is, quoniam adhuc in itinere est, nihil dum de conditionibus liberationis ad Serenitatem Vestram scribere potuimus. Cum quid certi haberimus, non praetermitteremus. Dabimus autem operam, ut in conditionibus et ferendis et suscipiendis ratio communis nostrae dignitatis atque adeo mutuae societatis habita esse videatur.

Vestra Serenitas, quod in dimittendo suo milite eam provisionem et adhibuisse se et porro adhibituram esse, significat, ut profectio eorum procul a nostris foederatorumque nostrorum ditionibus constituatur, valde nobis iucundum fuit ex literis Serenitatis Vestrae intelligere.

Interea, quoniam rumor ille de studijs nonnullorum principum ad pacificationem cum Suedo constituendam, nondum plane apud nos conquievit, etsi meminimus, quid de ea re ad nos Serenitas Vestra proxime superioribus diebus perscripserit, tamen, quoniam momentis temporum

bella et suscipiuntur et geruntur et finiuntur fierique potest, ut Serenitati Vestrae post scriptas priores ad nos literas aliquid propositum sit eiusmodi, quod illam ad pacis suscipienda consilia possit impellere, Serenitatem Vestram rogamus, ut si quid eiusmodi in animum induxerit, tempestive nos faciat certiores, quemadmodum nos quoque ipsi, si e venerit, Serenitatem Vestram certio rem facturi sumus. Quo enim magis pacis quam belli cupidi ac studiosi sumus, quoque magis a profusione tum sanguinis Christiani, tum etiam sumptuum inanium et ad effundendum Christianum sanguinem institutorum, abhorremus bellumque omne, praecipue quod inter Christianos geritur, iure potius ac ratione quam armis disceptando, si fieri possit, finiri malle mus, hoc magis necessarium esse existimamus, tempestive nos de ijs consilijs, si quae ad pacem pertinerent, fieri certiores.

Quod autem nobis Serenitas Vestra de magnifico Ioanne comite a Tenczin palatino Belzensi et Lublinensi ac Urzedoviensi capitaneo per admiraldum Serenitatis Vestrae cum comitatu suo capto ac deprae henso scribit, etsi id quoque aliunde intellexeramus, tamen nunc quoque in nunciandis nobis ijs rebus, benevolentiam Serenitatis Vestrae erga nos agnoscimus, praecipue quod Serenitas Vestra ad extremum literarum apposerit, quicquid nos in eo velle cognoverit, id sibi etiam gratissimum fore, demonstraturam esse. Quamobrem, cum eius rei gratia propediem ad Serenitatem Vestram internuncium nostrum missuri simus, pluribus verbis hoc tempore non utemur, a Serenitate tantum Vestra interim petemus, ut cum eum nullo malo consilio in Sueciam proficisci voluisse, Serenitas Vestra intelligat, ipsum cum comitatu rebusque ipsius omnibus liberum, nostra causa, dimitti iubeat, praesertim, cum legibus regni nostri nobilitati nostrae liceat, quoquo velit, in omnes orbis terrarum partes proficisci. Quod Serenitatem Vestram nostra causa libenter facturam esse, cum extremum literarum ipsius intuemur, magnopere nobis pollicemur. Faciemus nos vicissim quod Serenitati Vestrae gratum aliquando fore intelligemus. Quam bene valere cupimus.

Datum Varshoviae in convention e generali regni nostri, X<sup>a</sup> die mensis Decembris, anno Domini M.D.LXIII<sup>o</sup>, regni nostri XXXIII<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso*: Ser-mo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesvitiae, Halsatae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorsth, fratri et affini nostro charissimo.

*Alia manu*: Literae regis Poloniae comitem de Tenczin concernentes.  
Productae Flensbu[r]gi 20 Januarii anno [15]64.

*Item altera manu*: 10 Decembris 1563.  
De Christophero duce Megapolensi captivo,  
Pacificatione Rostochiensi,  
Comite a Tentzin.

Varsaviae, 28 Decembris 1563.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de bello contra Sueciam; de duce Megapolis et duce Finlandiae*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae Samogitiaequae etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesvitiae, Halsatae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri, affini et foederato nostro charissimo salutem, prosperosque rerum omnium successus.

Serenissime princeps, domine, frater, affinis et foederate <sup>a)</sup> noster charissime.

Etsi antea quoque intellexeramus de victoria Serenitatis Vestrae, quam ex Suedis recens est consecuta, tamen in literis Serenitatis Vestrae iucundum fuit nobis eam recognoscere. Ac misimus nos iam quidem his diebus ad Serenitatem Vestram internuncios nostros, quibus mandavimus inter caetera eam victoriam Serenitati Vestrae nostro nomine gratulari, quam nunc etiam per literas vere atque ex animo gratulamur Deumque precamur, ut hos successus Serenitati Vestrae perpetuo fortunet.

Nostri quoque, quod se Serenitas Vestra, scribit, accepisse, bene in Livonia rem gesserunt arcemque Loden obsidione liberarunt, tormenta aliquot acceperunt, hostem denique ipsum intra muros coegerunt, socios autem qui illic sub auspicijs Serenitatis Vestrae militant magnopere recrearunt ac confirmarunt, quemadmodum de eo quoque per eosdem internuncios nostros Serenitati Vestrae significavimus. Quod cum ita sit, ut societas haec nostra non solum animorum consensione, sed etiam successibus eiusmodi divinitus confirmetur, debemus sane consiliorum nostrorum fructum hunc capientes Deo Optimo Maximo gratias agere et nos ad reliqua, quae supersunt, tanto fidentius praeparare.

Nos quod attinet, exercitum nostrum Livonicum in hyberna iam deduximus, impositis per oportuna loca praesidijs, Suedos enim quoque ipsos campis fugatos ad arcium aliquot praesidia accepimus confugisse. Vere novo bellum maioribus viribus redintegrare exercitumque Polonici nominis conscribere constitutum nobis est, nisi quid aliud intervenerit. Neque enim adhuc rumor ille conquiescit de studijs principum Germaniae ad pacificationem tentandam excitatis, a qua nos neque unquam abhorruimus, si modo id, quod nostrum est, tenere quiete potuissemus, neque nunc etiam pro nostro Christiani regis more atque instituto abhorremus, si nobis liceat ea, quae bello repetimus per pacem obtinere. Equidem, si eo ventum fuerit, neque nos quidem quicquam inconsulta Serenitate Vestra tentabimus, neque a Serenitate Vestra praeter voluntatem atque scientiam nostram tentatum iri arbitramur, quemadmodum in conditionibus societatis nostrae praescriptum extat.

Quod attinet naves ab illustri domino Prussiae duce <sup>1)</sup> Serenitati Vestrae subministrandas, meminimus, nos quoque iam pridem cum Illustritate eius ea de re egisse. Videbatur autem, Illustritas eius difficultatem allegare. Agemus tamen nunc etiam iterum, quicquid vero responsi retulerimus, faciemus Serenitatem Vestram certiolem.

Nuper allatum ad nos est, proditorem in Livonia eorum, qui ab illustri domino Finlandiae duce <sup>2)</sup> arcibus nonnullis praefecti illic fuerunt, detectam esse. Fere sit enim, ut in provincia illa Livonia magnae suspitiones proditionis a Germanica natione oriantur, sicuti et in multorum aliorum et in Firstembergii negotio cognitum est, qui in Livonia magistrum gerens a suis Germanis desertus ac Moscovitis proditus est. Itaque de nonnullis arcium istarum proditoribus et proditionis conscijs nuper Rigae supplicium sumptum est, de auctore ipso proditionis comite ab arce sententia nostra expectatur. Equidem videndum nobis esse existimamus, quatenus cuique deinceps fidendum sit eaque res commovit nos, ut vere ipso militem nostrum potius, quam externum in Livoniam adducamus.

De duce Christofero Megapolensi praeter id, quod nuper etiam Serenitati Vestrae significavimus, nihil accidit novi. Laboratur pro eo a quibusdam Germaniae principibus, inter caeteros autem affuturus hic est propediem illustris dominus Joannes Albertus, frater ipsius. Cum nobiscum de conditionibus dimittendi ipsius actum fuerit, certius aliquid Serenitati Vestrae significare poterimus.

De illustri domino duce Finlandiae, affine nostro charissimo, praeter id, quod nobis stipendiarius noster Swarozinski a Serenitate Vestra retulit, interemptum illum esse, nihil certi cognoscere possumus. Si quid Serenitas Vestra habuerit, ad nos perscribi iubebit. Quam bene valere cupimus.

Datum Varsoviae in conventionem generali Regni nostri, die XXVIII Decembris, anno Domini M. D. LXIII, regni nostri anno XXXIII.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Serenissimo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri affini et foederato nostro charissimo.

*Alia manu:* Poloniae Regis literae in quibus Rex Regiae Maiestati Daniae congratulatur de victoria apud Helmstedt adversus Svedum, de captivitate principis Megapolensis, de ducis Finlandiae statu certiolem facit.  
Productae Flensbu[r]gi 23 Januarii anno [15]63 <sup>3)</sup>.

*Item altera manu:* 28 Decembris 1563.

a) In ms. foederater - lap. cal.

1) Scil. Alberto.

2) Scil. Ioanne.

3) Erratum - recte 1564.

Varsaviae, 13 Aprilis 1564.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
postulat, ut merces a ministris regiis detenta et pignorata mercatoribus  
Rigensibus J. Vithniek, M. Koy, C. Hymmerman et A. Boberow resti-  
tuatur.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Livoniaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo eadem gratia Daniae, Norvegiae Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesvitiae, Holsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri, affini et foederato nostro charissimo salutem et fraterni amoris continuum incrementum.

Serenissime princeps, domine, frater, affinis et foederate noster charissime.

Subditi quidam nostri Ioachimus Vithniek, Mathias Koy, Casparus Hymmerman, Adamus Boberow, cives et mercatores Rigenses misisse, dicuntur, merces suas quasdam in Germaniam, prout testimonia durata demonstrant. Quae, cum in ditionem Serenitatis Vestrae pervenissent, a ministris ipsius detentae ac pignoratae esse, dicuntur.

Quamobrem a Serenitate Vestra postulamus, ut cum eae res neque hostiles sint, sed civium ac subditorum, neque in terram hostilem deveherentur, sed ad eos deferrentur, cum quibus nihil hostile Serenitati Vestrae intercedere existimatum est, Serenitas Vestra, vel nostra saltem causa, eas res dimitti subditis nostris iubeat, ut ne cogantur miseri indigne, praeter ullam culpam suam, de omnibus propemodum facultatibus suis periclitari. Factura nobis est hoc pacto Serenitas Vestra rem gratissimam.

Datum Varsshoviae, die XIII Aprilis, anno Domini M. D. LXIII<sup>o</sup>, regni nostri XXXV<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Serenissimo Principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri, affini et foederato nostro charissimo.

*Alia manu:* 13 Aprilis 1564.

Intercessionales pro civibus quibusdam Rigensibus.



*Knischyn [Knyszyn], 14 Maii 1564.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
rogat, ut merces e Suecia evecta et per praefectos regios in portu Gottlan-  
diae Visby depraehensa mercatoribus Gedanensibus J. Brandes et  
H. Spemann restituatur.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.I.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samagitiae etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Schlesvitiae, Halsatae, Sthurmatiae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorsth, fratri, affini et foederato nostro charissimo salutem et omnis foelicitatis continuum incrementum.

Serenissime princeps, domine, frater, affinis et foederate noster charissime.

Anno superiori, cum nobis bellum contra Suedorum regem <sup>1)</sup> necessario suscipiendum esse videremus, feceramus potestatem civibus nostris Gedanensibus, ut quicumque in Suedia negociationes aliquas exercerent, tam merces, quam pecunias, et quidquid eiusmodi ibidem reliquum haberent, tempestive illinc auferrent. Quod quidem inter alios famati Joannes Brandes, proconsul, et Hilarius Spemann, cives Gedanenses, subditi nostri, qui ante triennium merces suas illo deduxerant, facere non neglexerunt, ut tantum mercium, quantum tam subito a creditoribus extorquere poterant, navibus in Regnum Serenitatis Vestrae (cum Gedanum, et hijemis asperitas, et navigationis summa incommoditas, iter tum praecluderent) deportari curarent; easque naves cum in portum Gottlandiae, Visbu dictum, subduxissent ibique hyemare stauissent, praefecti eorum locorum Maiestatis Vestrae naves praehendunt, merces distrahunt, reliquas Haffniam mittunt, ubi in hunc usque diem detinentur, magno cum detrimento rei familiaris praedictorum subditorum nostrorum.

Quamobrem commendamus eos Serenitati Vestrae, postulantes, [ut] pro iure foederum, amicitiae ac integrae inviolataeque vicinitatis, quae iam inde a multis annis nobis c[um] Serenitate Vestra et huic utrique Regno intercedit, merces eas, subditis nostris ad eum modum interceptas praehen[sas]que restitui mandet. Curabimus nos vicissim, ut subditi quoque Serenitatis Vestrae eandem in negotijs suis a nobis benevolentiam referant, quam ijdem subditi nostri in negotio hoc suo isthic experti fuerint.

Cupimus Serenitatem Vestram diu esse incolumem ac foelicem.

Datum in Knischyn, die XIII mensis Maij, anno Domini M.D.LXIII<sup>o</sup>, regni vero nostri XXXV<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Serenissimo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Schlesvitiae, Halsatiae, Sthurmariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorsth, fratri, affini et foederato nostro charissimo.

*Alia manu:* 14 Maij 1564.

1) Scil. *Ericum XIV.*

N. 28

*Bielsko, 31 Maii 1564.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de induciis inter Gotthardum Kettler, ducem Curlandiae et Magnum, ducem Holsatiae*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.I.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gothorum regi, duci Slesvitiae, Holsatiae, Stormariae et Ditmariae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri, affini et foederato charissimo salutem et fraterni amoris continuum incrementum.

Serenissime princeps, et ex legatis nostris, qui proxime a Serenitate Vestra ad nos redierunt, et ex literis, quas mense Aprilis Serenitas Vestra ad nos dedit, intelleximus, cupere Serenitatem Vestram nosque rogare, ut opera atque autoritate nostra apud illustrem Curoniae atque Semigaliae ducem efficiamus, ne Illustritas eius ab induciis cum illustri principe, duce Magno, Serenitatis Vestrae fratre, aliena esse velit. Ac nos quidem, cum alias semper pacis studiosi fuerimus, tum maxime cum quibus nobis conveniret, cum iisdem quoque subditos nostros constantem atque perpetuam amicitiam colere optavimus. Unde non gravatim idipsum praestitimus, quod et Serenitas Vestra et illustris princeps, dux Magnus a nobis petere videbatur effecimusque, ut illustris Curlandiae princeps ad hunc oratorum nostrorum Rostochii conventum et ipse consiliarium suum mitteret, qui cum Serenitatis Vestrae oratoribus de indutiis paciscendis plenam potestatem haberet. Existimamus hucusque aliquid istic in eo genere ex utriusque nostrum sententia confectum esse, sin minus, quantum aequitas patietur authores semper atque hortatores illustri Curlandiae duci futuri sumus ad amplectendam et tuendam cum illustri principe, duce Magno Serenitatis Vestrae fratre amicitiam, quod et Serenitati Vestrae et illustri quoque principi, duci Magno gratum futurum nobis etiam persuademus. Cupimus autem Serenitatem Vestram bene foelicitereque valere.

Datum in Bielsko, ultima die mensis Maii, anno Domini M D LXIII, regni nostri XXXV.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Serenissimo principi domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gothorum regi, duci Slesvitiae, Holsatiae, Stormariae ac Ditmariae, comiti in Holdenburg et Delmenhorst, fratri, affini et foederato nostro charissimo.

*Alia manu:* Poloniae regis literae duces Magnum Holsatiae concernentes.  
Productae Hafniae 5 Augusti anno [15]64.

*Item altera manu:* Ultima Maij 1564.

N. 29

*Bielsko, 10 Iunii 1564.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de prospectato bello contra Sueciam*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Eldenburg et Delemenhorst, fratri, affini et foederato nostro charissimo salutem et fraterni amoris ac omnis foelicitatis continuum incrementum.

Serenissime princeps, frater, affinis et foederate noster charissime.

Pergratum nobis fuit ex literis Serenitatis Vestrae rationes atque consilia renovandi contra Suecum belli cognoscere, nec possumus voluntatem Serenitatis Vestrae non vehementer probare, Deum autem Optimum Maximum, omnium victoriarum largitorem precamur, ut conatibus omnibus Serenitatis Vestrae adesse ac optatam de hoste victoriam tribuere velit.

Nos quidem militem iam conscriptum habemus ac solum, quid nobis Rostochio adferatur, expectamus. Nam, si quid ex sententia istic utriusque nostrum confectum fuerit, mutandum nobis erit propositum, sin minus operam daturi sumus, ut mature validum exercitum in Livoniam deducamus, nec ulla in re, vel provinciae illi, vel mutuae nostrae amicitiae, defuisse videamur. Cupimus autem Serenitatem Vestram bene foeliciterque valere.

Datum in Bielsko, X die mensis Iunii, anno Domini M D LXIII, regni  
vero nostri XXXV.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Serenissimo principi, domino Friderico secundo Dei gratia  
Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci  
Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in  
Eldenburg et Delemenhorst, fratri, affini et foederato nostro  
charissimo.

*Alia manu:* Productae Hafniae 12 Julii anno [15]64.

*Item altera manu:* 10 Junij 1564.

N. 30

*Knissin [Knyszyn], 10 Septembris 1564.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de suis negotiis cum nuntiis regis Sueciae*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Litua-  
niae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae etc. dominus et haeres.  
Serenissimo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Nor-  
vegiae, Vandalorum et Gothorum regi, duci Slesvitiae, Holsatiae, Stor-  
matiae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri affini  
et foederato nostro charissimo salutem et totius boni continuum in-  
crementum.

Serenissime princeps, domine, frater, consanguinee et foederate nos-  
ter charissime.

Existimamus, Serenitatem Vestram ex sermone legatorum suorum,  
qui Rostochii aderant, cognovisse, de adventu ad nos nuntiorum Sue-  
dicorum. Etsi enim initio, cum a nobis per Suetiae regem <sup>1)</sup> salvuscon-  
ductus nunciis suis peteretur, non existimabamus sane ita eum peti,  
quasi ad nos ipsos ea legatio institui deberet, quam nos Rostochium  
potius ad communem conventum mitti arbitrabamur, tamen, postea, ut  
primum certiores facti essemus, ad nos eam adventare, non praetermi-  
simus id oratoribus ac commissariis nostris Rostochium significare, ut  
de eo ipsos quoque Serenitatis Vestrae commissarios admonerent, simulque  
iis nuntiarent, nos in audienda et expedienda universa ea legatione bene  
memores futuros eius foederis, quod inter nos et Serenitatem Vestram  
anno superiore intercessit. Cuius sane memores etiam nos exitisse, cum  
omnis haec tractatio, quae cum Suedicis ipsis nunciis per consiliarios

nostros interim suscepta fuit, tum ipsum quoque responsum nostrum, cuius exemplum una cum exemplo legationis eorum Serenitati Vestrae mittimus, abunde testatur.

Quod cum ita sit, non existimamus profecto, hanc nostram eiusmodi animi nostri erga res communes nostras significationem Serenitati Vestrae ingratham fore. Etenim, cum a nobis conditiones omnes, quas illius regis legati ad pacem nobiscum conficiendam, adferebant, repudiatae sint, ea maxime de causa, ne pacificatione nostra ullum Serenitati Vestrae praepudicium allatum esse videretur, non dubitamus, studium hoc nostrum et hanc nostram animi constantiam a Serenitate Vestra approbatum iri, praesertim, cum Serenitas Vestra facile intelligere possit, nos, si in causam pacificationis nostrae cum legatis tractandae ingredi voluissemus, non difficulter eiusmodi conditiones ab iis obtinere potuisse, quae et dignae nomine nostro et rebus nostris maxime conducibiles fore viderentur. Sed facile omnia prae mutua nostra cum Serenitate Vestra coniunctione posthabuimus, cuius etiam nos sane rei nihil paenitet.

Nunc, quod ab ipsis privatim legatis, non ad nos ipsos quidem, sed ad eos consiliarios, quos tractationibus cum ipsis habendis praeposueramus, neque regis ipsius, sed privato dumtaxat ipsorum nomine, allatum fuit, id nos quoque ad ipsam Serenitatem Vestram deferendum esse existimavimus. Subindicare enim quodammodo visi sunt, se magnopere, pro bono totius Christianae Reipublicae, cupere, ut primo quoque tempore inter regem suum et nos utrosque ex alia parte ad constantem aliquam et perfectam earum turbarum omnium compositionem posset perveniri, constituto oportuno aliquo et sibi propinquiori loco, in quem omnium nostrum legati et commissarii possint ad dictum tempus convenire. De loco autem Gedanum optare videbantur, de tempore nihil nominatim afferebant, illud modo significabant, commodissimum fore, si id ante brumam constitueretur. De qua re tota vellemus, ut Serenitas Vestra etiam atque etiam consideret. Nos quidem, etsi Gedanum hoc tempore pestilentia infectum sit, ita ut commissariorum nostrorum conventus tuto ibi agi non possit, tamen, ea de causa rem tam salutarem omnibus, nobis autem sane peropportunam, aspernandam esse, non arbitraremur, si ita quoque Serenitati Vestrae videretur. Facile enim locus aequae commodus posset reperiri, si modo pacis studio, uti Christianos reges inprimis decet, omnes ex aequo teneremur.

Ac nos quidem, cum semper eo animo fuerimus, ut pacem, quae modo a dignitate nostra aliena non esset, bello esse praeferendam, iudicaverimus, tum nunc sane ita statuimus pacem Suedicam, si legitime et honeste, uti non desperamus, coire posset et utriusque nostrum cum Serenitate Vestra nomine non indignam et nobis privatim ad rem cum barbaris ac schismaticis gentibus bene gerentem peraccomodatam fore. De quibus, etsi nobis saepe interea atque adeo nunc etiam cum haec scriberemus, laetum victoriae nuntium per Dei gratiam allatum sit, tamen facile intelligi potest, quantam accessionem res ipsa habitura videretur, si in unum tantum bellum incumberemus, reliquis non distineremur. Quod si idem Serenitati Vestrae videretur, quandoquidem ita Suedos a nobis dimisimus, ut de induciis a se expetitis, quae esset mens ac voluntas, utriusque nostrum, eos per internuntium nostrum certiores facere promiserimus, posset aliquid fortassis eidem internuntio nostro, quem in Sueciam ablegaturi essemus, committi nomine consilia-

riorum nostrorum, quod optatam ab illis pacem et turbarum compositionem promovere posse videretur.

De quo, ut Serenitas Vestra cum consiliariis suis etiam atque etiam consideret nobisque quid sentiat, significet illam magnopere hortamur, quod si forte pacis tractationem cum rege Sueciae hoc tempore sibi et rebus suis Serenitas Vestra alienam putaverit, foedus tamen et inducias aliquot annorum non aspernaretur, cupimus etiam de eo a Serenitate Vestra certiores fieri. Nos autem, cum iam sententiam in hoc genere nostram aperte, uti apud foederatum et amicum regem oportuit, Serenitati Vestrae exposuerimus, tum sententiam quoque Serenitatis Vestrae libenter de iis audiemus, nosque temere ab ea nequaquam seiungemus. Bene valere Serenitatem Vestram cupimus.

Datum in Knissin X die mensis Septembris, anno Domini M. D. LXIII, regni nostri XXXV.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso*: Serenissimo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gothorum regi, duci Slesvitiae, Holsatiae, Stormatiae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, domino, fratri, affini et foederato nostro charissimo.

*Alia manu*: Regis Poloniae literae Suedicam legationem spectantes.  
Productae Flensburgi, 3<sup>a</sup> Octobris.

*Item altera manu*: 10 Septembris 1564.

1) Scil. *Ericum XIV.*

N. 31

Knissin [*Knyszyn*], 13 Septembris 1564.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de civium Lubecensium ac magistri Ordinis Teutonici cum Moscovia machinationibus*

(*Orig., sig.*)

*T.K.U.A. Polen. A.I.I. +*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico II<sup>o</sup> eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesvitiae, Halsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri, affini et foederato nostro charissimo salutem et omnis felicitatis continuum incrementum.

Serenissime princeps, domine, amice, frater et foederate noster charissime.

Iampridem ad nos adfertur de occultis nonnullis et Reipublicae Christianae perniciosis consiliis quorundam, qui per speciem liberandi Firstenbergii, Livoniae quondam magistri ex potestate ducis Moscorum <sup>1)</sup>, amicitiam Moscorum ambiunt, qua deinde ad perniciosissimos suos conatus pro arbitrio abuti possint. Quod autem nos multo magis movet, esse, dicuntur, ex foederatis nostris, qui eorum consiliorum conscij perhibentur, quique turbulentis eiusmodi hominibus et receptum apud se praebent, et aditum in Moscoviam patefaciunt. Quod, etsi nos quidem nobis non admodum de ipsis persuadeamus, tamen, quicquid id esset, volumus, ita uti ad nos allatum est, paucis hoc tempore Serenitatem Vestram certiolem facere, praesertim, cum reliqua in hoc genere commissarii nostri, qui Rostochium ierant, ad Serenitatis Vestrae commissarios retulerint, ex quibus rem totam Serenitas Vestra plenius cognoscere poterit.

Postulamus autem a Serenitate Vestra, primum, ut civitatem Lubicensem, quam mutuo foedere nostro comprehendere Serenitas Vestra voluit, admoneat, ut si quid forte eiusmodi in civitate sua fieret, quod cuiquam adiumentum ullum, sive privatim, sive publice, ad foedus cum Mosco contra nos ineundum, adferre videretur, diligenter prohibeant, nec se in eorum consiliorum societatem ulla ratione pellici patiantur. Quae consilia ipsi etiam, ut quidem non dubitamus, sibi fore periculosa, ignorare non possunt. Quod, si aut spe levioris alicuius lucri, aut taedio intermissorum per id tempus commerciorum, ducuntur, ut se tam alienis a Christiano nomine suo consilijs admisceri patiantur, meminerint, nec lucri spem ullam tanti esse, ut indignum aliquid propterea admitti ab honesta civitate debeat, nec longum esse, cum nos quidem totius negotiationis veterem libertatem in Livonia per Dei gratiam restituemus, eamque non aliter, quam cum Cruciferorum imperio illa provincia contineretur, praestaturi ac conservaturi sumus. Quorum quidem Cruciferorum Teutonicus magister, quoniam a multo iam tempore inimicum se ditionibus nostris profitetur, nec recusat ad opem etiam schismaticorum, quorum quidem religionem a sua et omnium catholicorum religione alienissimam esse non ignorat, decurrere, dummodo ditionibus nostris ulla ratione incommodare possit, idcirco sane nollemus Lubecenses foederatos nostros ab eorum partibus videri, qui se esse inimicos nobis ac ditionibus nostris profitentur, quique, uti ad nos pro certo allatum est, sub specie liberandi Firstenbergii ea moliuntur, quae et nobis, et ipsis, et Christianis omnibus regnis atque imperiis, in iisque ipsius etiam Serenitatis Vestrae ditionibus, apertum ac manifestum periculum creare viderentur.

Et quoniam legatio haec cruciferica Lubeca iam navigasse Revaliam aut Narvam, dicitur, alterum hoc est, quod a Serenitate Vestra postulamus, ut classis suae praefectis diligenter imperet de observanda ea, sive eunte, sive redeunte, ut ex illa intercepta intelligi possit verum esse, quod ad nos allatum est, ipsum quoque Serenitatis Vestrae regnum extra periculum non esse. Aiunt enim, Sueciae quoque regem pellici in eandem societatem. Quod nos totum Serenitati Vestrae etiam atque etiam perpendendum relinquimus. Quam bene valere cupimus.

Datum in Knissin, die XIII mensis Septembris, anno Domini M. D. LXIII, regni nostri XXXV<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Serenissimo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesvitiae, Halsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorsth, amico, fratri et foederato nostro charissimo.

*Alia manu:* Regis Poloniae literae a) Wilhelmum Furstenbergum magistrum Ordinis in Moschovia captivum concernentes.  
Productae Flensburgi 3<sup>a</sup> Octobris.

*Item altera manu:* (13 Septembris 1567).

a) *Sequitur* - Joannem - *deletum*.

1) *Scil. Ivani IV Terribilis.*

+ *Sequitur in ordine archivistico aliud « Exemplum Regis Poloniae literarum ad R. M-tem Daniae », confectum in cancellaria regia Danica.*

N. 32

*Ticocinii [Tykocin], 19 Septembris 1564.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de rebus Livoniae et de negotiis cum Maximiliano II imperatore  
(Orig., sig.)  
T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Livoniaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico II<sup>o</sup> eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesvitiae, Holsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorsth, fratri, affini et foederato nostro charissimo salutem et omnis felicitatis continuum incrementum.

Serenissime princeps, domine, frater, affinis et foederate noster charissime.

Accepimus heri literas a Serenitate Vestra, datas Friderichsburgo a), die Augusti XV, ex quibus intelleximus, Serenitatem Vestram nonnihil sollicitam esse propter legationem Suedicam, quae ad nos proxime fuit instituta. Cuius quidem legationis internuncios, quemadmodum a nobis dimiserimus, quoniam Serenitati Vestrae per cubicularium nostrum ante quam literas ab illa accepissemus, significavimus, idcirco hoc tempore



breviores erimus. Confidimus enim, ad omnia Serenitati Vestrae literis his, quas cubiculario nostro perferendas dedimus, satisfactum esse. Equidem consilium illud divellendi nostri, alterius ab altero, nec obscurum nobis, nec ulla ratione probatum fuit.

Itaque, quod ex dignitate nostra fuit, id fecimus ad ministrosque illius consilij ita dimisimus, ut intelligerent, fidem constantiamque nostram inprimis nobis charam esse, quod ipsam quoque Serenitatem Vestram facturam esse, si ita unquam res tulerit, non dubitamus. Quamobrem, etsi rebus quidem nostris prospiciendi non modo quicquam de pristina cura nostra non remitteremus, sed etiam acrius in eam cogitationem incumbemus, tamen, quoniam nobis sane non aliud hoc bello, quam pax quaeritur, qua, si olim cum dignitate nostra frui ac potiri potuissemus, nunquam ad haec belli consilia decurrissemus et nunc adeo, ut primum ad eam honeste et ex nominis nostri dignitate pervenire poterimus, arma haec pro defensione nostrorum sumpta, non gravate, uti Christiano regi et principi convenit, deponere parati sumus. Idcirco expectamus, quid nobis a Serenitate Vestra ad ea respondeatur, quae illi superioribus literis perscripsimus, deprompta ex privato legatorum ipsorum Suedicorum sermone, quo tunc, cum hic essent, privatim nonnullos ex consiliariis nostris alloquuti fuerunt, cum quidem nostra sententia iter ostenderent non alienum ab ea ratione, qua ad pacem, etiam cum Serenitate Vestra communem, possit perveniri.

Quod milites Serenitatis Vestrae attinet, qui sunt in Livonia, non dubitamus, illos studiis suis conatus nostrorum, ubicunque poterunt, adiuturos esse, idque tum mandatis Serenitatis Vestrae, de quibus nobis significat, adductos, tum etiam quodammodo memoria eius officij, quod sibi olim a nostris praestitum esse in eo genere, procul dubio recordantur.

Interim ad Caesaream ipsam Electam Maiestatem <sup>1)</sup> quandoquidem divus Ferdinandus imperator, parens noster observandissimus, vitam hanc nuper reliquit, perscribemus, postulans, ut hostibus nostris, qui ipsos quoque Maiestatis eius conatus ad constituendam inter nos pacem destinatos, irritos no[n] ita pridem reddiderunt, omnis generis commercijs et transitu per universum Imperium interdicti possit. In eaque re, studio et postulatis Serenitatis Vestrae tanto magis defuturi non sumus, quanto magis existimamus, nos, pro ea affinitate et necessitudine, quae nobis cum Caesarea Maiestate intercedit, non gravate id consecuturos esse. Bene valere Serenitatem Vestram cupimus.

Datum in Ticocin, die XIX Septembris, anno Domini M. D. LXIII<sup>o</sup>, regni nostri XXXV<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico II<sup>o</sup> Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gotthorum regi, duci Slesvitiae, Holsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorsth, fratri, affini et foederato nostro charissimo.

*Alia manu:* Regis Poloniae literae Suedicam legationem apud eius Maiestatem concernentes.  
Productae Oppenrade <sup>b)</sup> 28 Octobris anno [15]64.

*Item altera manu:* 29 Septembris 1564.

a) *Friderichsbirgo in ms. - erratum.*

1) *Scil. ad Maximilianum II.*

b) *Lectio incerta, sed evidenter hic de civitate Aabenraa, situata in meridionali parte paeninsulae Jutlandiae, agitur.*

N. 33

*Petricoviae [Piotrków], 17 Novembris 1564.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de legationibus Pomeranorum et Suecorum, pacem petentibus, deque loco  
ad eam negotiandam apto  
(Orig., sig.)  
T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gothorum regi, duci Slesvitiae, Halsatiae, Sturmariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri, affini et foederato nostro charissimo salutem ac mutui amoris continuum incrementum.

Serenissime princeps, domine, frater, affinis et foederate noster charissime.

Antequam adhuc literas Serenitatis Vestrae de legatione illustrium Pomeraniae ducum ad pacificationem cum Sueco constituendam composita accepissemus, miseramus ad Serenitatem Vestram cubicularium nostrum cum literis, quibus Serenitati Vestrae significabamus, Suecicam quoque consimilem legationem apud nos fuisse, quae cuiusmodi fuerit, aut quomodo a nobis accepta et expedita sit, omnia perscribi Serenitati Vestrae iusseramus, quae quidem omnia iam procul dubio Serenitas Vestra ex literis nostris cognovit.

Nunc, cum literas a Serenitate Vestra accepimus, adierunt nos quoque legati ipsi Pomeraniae, nomine principum suorum, ad pacem nos ab armis revocantes, et ad eam operam principum ipsorum prolixè pollicentes. Quae sane legatio eodem a nobis animo accepta est, quo, videmus, a Serenitate Vestra acceptam fuisse. Sicuti enim ad id bellum inviti plane descendimus, ita deponendi illius nullam nec hactenus occasionem honestam detrectavimus, nec deinceps detrectaturi sumus. Pace enim nihil nec rebus Christianorum communibus conducibilis, nec regio nostro nomini convenientius esse, arbitramur: bello autem nihil foedius, quoties absque eo dignitas regnorum ac salus populorum teneri potest, ita sane, ut etiam, si eo superiores essemus, tamen illud provideri nequa-

quam posse, videretur, quominus simul cum eo mala atque incommoda in Rempublicam plurima inducantur.

Itaque, quod nos quidem attinet, etsi de omnibus rebus ex his literis, quas a Serenitate Vestra ad nostras literas expectamus, certius statuere poterimus, tamen, sicuti et semper antea animati fuimus et hoc tempore apud Pomeranicos ipsos nuncios et oratores professi sumus, nos a pace honesta alienos nec fuisse unquam, neque deinceps fore, ita nunc quoque apud Serenitatem Vestram profiteamur, si qua eiusmodi pacis spes ostensa nobis fuerit, quae cum dignitate tam nostra, quam Serenitatis Vestrae, cuius nos quoque rationem non minorem, quam nostrae ipsius ducimus, coniuncta fuerit, quaeque a libertate et commodis populorum nobis subiectorum non sit aliena, eam nos pacem repudiaturos non esse, praesertim, si oportuno tempore locus ad eam constituendam omnibus ex aequo idoneus fuerit designatus. Quo quidem in genere, cum Gedanium, quam urbem Suedi commodissimam sibi fore testabantur, nondum a contagionis periculo plane sit liberatum, nos Rostochium aut Stetinum opportunissimum esse, iudicaremus, quemadmodum haec et reliqua Serenitas Vestra ex hoc exemplo responsionis nostrae, quam ad legationem Pomeranicam dedimus, uberius cognoscet. Quam optime valere cupimus.

Datum Petricoviae, die XVII Novembris, anno Domini M. D. LXIII, regni vero nostri XXXV.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico II<sup>o</sup> Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gothorum regi, duci Slesvitiae, Halsatiae, Sturmariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburgk et Delmenhorst, fratri, affini et foederato nostro charissimo.

*Alia manu:* Productae Niburg 23 Decembris Anno [15]64.

*Item altera manu:* 17 Novembris 1564.

N. 34

*Petricoviae [Piotrków], 16 Novembris 1564.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad legatos ducum Pomeraniae  
respondit ad eorum mediationem in re pacis cum rege Sueciae  
(Exemplar)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Responsum

Sacrae Regiae Maiestatis ad legationem illustrissimorum dominorum ducum Pomeraniae, datum Petricoviae  
XVI Novembris M. D. LXIII<sup>o</sup>.

Ex legatione, quam obiverunt Dominationes Vestrae apud Sacram Regiam Maiestatem, dominum nostrum clementissimum, nomine illustrium ducum Pomeraniae, facile perspicit Maiestas eius Regia, quantam curam,

studium et diligentiam adhibeant Illustrissimae Celsitudines earum ad conciliandam gratiam inter Maiestatem Regiam et Serenissimum regem Daniae <sup>1)</sup> cum rege Sueciae <sup>2)</sup> et ad componendum hoc funestum bellum, quo quidem regum Christianorum opes franguntur, vires debilitantur cum magno detrimento totius Reipublicae Christianae, hostium vero Christiani nominis ferocitas et audacia ita confirmari videtur, ut si minus sua ipsorum virtute, saltem intestinis dissensionibus et mutuis Christianorum principum dissidijs ad spem evertendi et, quod Deus avertat, ex omni hominum memoria delendi Christiani nominis effrenata temeritate rapiantur.

Quod quidem illustrium Celsitudinum suarum studium Maiestas eius non modo interpretatur in eam partem, in quam Celsitudines earum cupiunt, verum etiam non potest non vehementer commendare, quod in hoc negotio eam Reipublicae Christianae operam navent, quae illi maxime salutaris esse videatur.

Atque, quod Maiestatem Regiam, dominum nostrum clementissimum attinet, hoc semper fuit Maiestatis eius institutum, ut cum barbaris quidem et a Christiana religione alienis nationibus fere continenter bella gerat, a profusione vero Christiani sanguinis et a dissidijs cum principibus Christianis tam aliena semper fuerit, ut, nisi gravissimis iniurijs provocata et maxima necessitate adacta, nunquam cuiquam ex Christianis principibus bellum intulerit.

Ac ne hoc quidem bellum, ad quod Maiestas eius maximis regis Suecorum iniurijs provocata descendit, voluntate sua suscepit, eo praesertim tempore, cum pro salute Livoniae, ab omni humana ope destitutae, anceps et difficile contra barbaros bellum gereret malletque in eius provinciae discrimine universas vires suas contra truculentissimum hostem convertere, quam gemino bello distineri. Adducta tamen Maiestas eius ad eam necessitatem gravissimis Suecorum regis iniurijs, facere non potuit, quin dignitatem suam armis tueretur et vim vi repelleret.

Quod autem pacificationem attinet, de qua Dominationes Vestrae ad Maiestatem eius sunt missae, erat quoque ad Maiestatem ipsius non multo ante missa ab ipso Suecorum rege legatio, quae Maiestatem hanc regiam ad pacem et ad pristinam benevolentiam cum eo rege vocare videbatur. Verum, Regia illius Maiestas, cum intelligeret, et regno suo cum regno Daniae pacta vetera intercedere, et se quoque ipsam anno superiore cum serenissimo rege Daniae in arctius quoddam foedus et societatem belli Suedici coisjsse, nihil certi in hoc genere inscio Danorum rege serenissimo respondendum sibi esse, existimavit, sed contestata dumtaxat et ad bellum invitam se descendisse, et a pace honesta alienam nunquam fuisse omnem rationem responsionis suae ad commune suum et Serenitatis ipsius arbitrium reiecit.

Nunc autem, cum ex sermone Dominationum Vestrarum et ex literis serenissimi ipsius regis Daniae Maiestas eius intelligat, Serenitatis eius animum a pace, uti Christianum regem decet, non abhorrere, ne ipsa quidem Maiestas eius ulla ex parte segnior vult videri ad ea complectenda, quae ad Christiani regis officium imprimis pertinent ad pacem nimirum cum hostibus, ad benevolentiam cum vicinis, ad ocium et quietem cum Christianis. Quae res quidem, si opera et studio illustrissimorum Pomeraniae ducum constitui poterunt, profitetur Maiestas eius studium quoque suum in hac parte non esse defuturum.

Illud modo Maiestas eius nominatim cavendum ac providendum sibi esse existimat, primum, ut ea tractatio pacis de comuni sententia et

assensu serenissimi regis Daniae cum Maiestate Regia fiat, deinde, ut tam cum Maiestatis suae, quam cum serenissimi Daniae regis (quae Maiestati huic non minus, quam suae ipsius cara est) dignitate sit coniuncta, tum, ut salutem ac libertatem gentium ac populorum communium tueatur, nec eam ulla ex parte imminuat, aut labefactet. Postremo vero, ut ad eam pacem constituendam tempus et locus eiusmodi designetur, qui et ad eam conficiendam rem quam maxime opportunus esse, et nulla praecipua difficultate Maiestatem eius onerare videatur.

De quo sane, si Maiestatis ipsius sententia quaeritur, existimat Maiestas illius tempus quidem hybernum, ipsum locum autem Rostochium aut Stetinum, aut si quae sunt ibi alia vicina et oportuna loca ditionis illustrium ducum Pomeraniae, commodissimum fore.

Quae omnia, ubi ad eum modum constituta et Maiestati eius Regiae significata fuerint, non pigebit Maiestatem ipsius commissarios designare, qui una cum serenissimi regis Daniae et caeterorum, qui ad id pertinent, commissarijs, in hanc eiusmodi pacificationem, nomine Maiestatis huius Regiae, incumbant, ad eamque, secundum dignitatem suae Maiestatis, studium et operam suam conferant, ut ne quid sit, quod in Maiestate ipsius ad commune Christianae Reipublicae bonum tuendum ac conservandum desiderari videatur.

Quod quidem ita Dominationes Vestrae Illustrissimis Celsitudinibus earum, a quibus missae sunt, referent easque Maiestatis huius nomine amice et officiose salutabunt, cum testificatione singularis benevolentiae Maiestatis eius Regiae erga illustrissimas Celsitudines suas, propinquos et necessarios Regiae huius Maiestatis.

1) Scil. *Fridericum II.*

2) Scil. *cum Erico XIV.*

N. 35

*Petricoviae [Piotrków], 17 Novembris 1564.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de navigatione mercatorum versus Narvam deque eius exoptata interdictione*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesvitiae, Holsatiae, Stormatiae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri et affini nostro confoederato charissimo salutem et fraterni amoris ac omnis foelicitatis continuum incrementum.

Serenissime princeps, frater, affinis et foederate noster charissime.

Perfertur ad nos, Serenitatem Vestram plurimis navibus, sale aliisque mercibus onustis, sub fide sua publica Narvam navigandi fecisse potestatem ac octo ex his sale onustas in portum nostrum Gedanensem delatas esse. Ostensum est quoque nobis exemplum literarum Serenitatis Vestrae, quibus a civitate nostra Gedanensi petit, ut supradictarum navium navigationem non impediatur.

Est autem res Serenitati Vestrae non obscura ac nemo est, qui non intelligat, Suecorum regem <sup>1)</sup> ita habere conglutinatam amicicium cum Mosco <sup>2)</sup>, ut libere sint utrorumque populis hinc inde negotiationes, adeo, ut quae directo itinere in Sueciam invehi non possunt, ea per ditionem Mosci, Narvam quidem primum, illinc vero in Sueciam iter faciant.

Cum autem inter nos ea sint pacta talesque foederum condiciones, ut quilibet nostrum, quantum posset, omnem in Sueciam aditum impediatur, videtur, istius navigationis facultas nulla istuc recte a quoquam nostrum concedi posse. Nam supra id, quod Suecus, utriusque nostrum hostis, praeter fidem proximae initalae confoederationis nostrae necessariis iis rebus, quarum penuria eum nunc maxime affligit, firmatur, credibile est, Moscum quoque perpetuum nostrum ac totius Christiani nominis hostem, captandorum nefariorum suorum consiliorum in libera hac navigatione occasionem nullam intermittere.

Itaque, cum haec navigandi licentia, non solum a veteri nostra amicicia abhorreat, sed et aliena etiam sit a rationibus proximae initalae nostrae confoederationis, etiam atque etiam a Serenitate Vestra postulamus, ut non saltem navigationem hanc nemini per se liberam esse velit, verum etiam, tanquam in perniciem utriusque nostrum institutam, undique impediatur. Ita fiet, ut et hostis, inopia rerum necessariorum adductus, bonae vicinitatis commoda, quanta sint, intelligat et a veteris amiciciae nostrae instituto neque a proxima nostra confoederatione discedatur et vero nos inprimis in amicicia cum Serenitate Vestra confirmabimur. Quam bene faeliciterque valere cupimus.

Datum Petricovii, XVII Novembris, anno Domini M.D.LXIII, regni nostri XXXV.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Serenissimo principi, domino Friderico secundo Dei gratia, Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormatiae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri et affini nostro confoederato charissimo.

*Alia manu:* Productae Niburg 23 Decembris anno [15]64.

*Item altera manu:* 17 Novembris 1564.

1) Scil. Ericum XIV.

2) Scil. cum Ivano IV, Terribili.

*Petricoviae [Piotrków], 16 Ianuarii 1565.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de occultis negotiis consiliariorum regis Daniae cum Suecis, de civibus  
Lubecensibus, de concedenda libera navigatione navibus « salvo con-  
ductu » regis Poloniae munitis*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gothorum regi, duci Slesvitiae, Holsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburgk et Delmenhorst, fratri et affini foederatoque nostro charissimo salutem prosperosque rerum omnium successus.

Serenissime princeps, domine, frater, affinis et foederate noster charissime.

Redditae sunt nobis Serenitatis Vestrae literae per cursorem illius, non solum argumento, sed etiam verbis totidem perscriptae, quot fuerunt illae, quae paulo ante quoque per cubicularium nostrum ad nos ab illa allatae erant. Qui quidem cubicularius, etsi in itinere ipso, cum rediret ad nos a Serenitate Vestra, in morbum incidisset, cum literisque ipsis diutius quam vellemus moraretur, tamen, ubi convaluisset, ad nos rediit literasque Serenitatis Vestrae paulo ante cursoris huius adventum nobis reddidit.

Agnoscinus diligentiam Serenitatis Vestrae in curandis <sup>a)</sup> iis rebus, quae ad servanda communia pacta ac foedera mutua nostra pertinent, nec dubitamus, eandem se Serenitatem Vestram usque ad extremum exhibituram esse. Quo magis etiam confidimus, vanum esse id, quod nobis pridem non satis alioqui certis auctoribus renunciatum est, consiliarios et subditos quosdam Serenitatis Vestrae moliri iam nunc et meditari, nobis insciis, occulta quaedam pacta et foedera cum consiliariis et subditis Sueciae regis <sup>1)</sup> contra quod communi nostro foedere praescriptum ac compraesens extat. Cum nos enim in eiusmodi foederis communionem cum Serenitate Vestra venissemus, nos arbitremur, ut non solum nos ipsi leges foederis cum ipsa Serenitate Vestra privatim colere, sed etiam, ut fidem ipsam consiliariorum et subditorum omnium atque adeo sociorum quoque nostrorum praestare in hoc genere Serenitati Vestrae et subditis ac sociis illius debeamus, ita statuimus Serenitatem quoque Vestram iisdem legibus foederis teneri fidemque consiliariorum et subditorum omnium suorum vicissim praestare, tam nobis ipsis, quam subditis et ditio-nibus nostris debere atque adeo summa sua voluntate id, quod fecit hactenus, praestaturam esse.

Quod scribit Serenitas Vestra, se non impedire, quominus interea pacificatio communis per internuncium nostrum, quem legati Suedici requirere olim videbantur, praeparetur, non inviti sane id faceremus, qui semper a Christiani sanguinis profusione abhorruimus et pacem cum Chris-

tianis regibus colere, bellum cum barbaris gentibus gerere maluimus, verum, rationes nobis Suedici regis intuentibus, nihil ab illo ad pacem vere et ex animo agi videtur. Nam, ut caetera omittamus, salviconductus literae, qui ab eo internuncio nostro mitti debuerunt, ne adhuc quidem ullae sunt missae, sine quibus omnis de instruenda ac praeparanda pacificatione cogitatio frustra suscipitur.

Quod item aliis literis scribit Serenitas Vestra de Lubecensium optimo et alieno ab omnibus machinationibus iniquis animo, accipimus interea factum illorum ita, uti vult Serenitas Vestra. Sed certe eos, quibus machinationes illae commissae sunt, in civitate eorum fuisse, indeque ad explicanda consilia sua digressos esse, ne ipsi quidem admodum diffitentur. Quicquid tamen huius fecerint, optimo se animo et non solum alieno ab eiusmodi turbulentis consiliis, sed etiam prorsus earum rerum ignaro fecisse, significant. Quod nos quidem interim ab illis accipimus. Cupe-remus tamen, ut eos Serenitas Vestra diligenter admoneat, ne quid tale in posterum admittant et eum errorem, qui admissus est, omni, qua poterunt, ratione corrigant. Non valde enim dubitamus, qua ad expediendum facinus suum profecti sunt architecti illi occultarum illarum machinationum, eadem esse redituros.

Postremo, quod significat nobis Serenitas Vestra de remoranda Balthici maris navigatione, si bellum ante ver proximum diremptum non fuerit, probamus summopere studium hoc Serenitatis Vestrae et in rebus communibus vigilantiam. Unum est, quod in hoc genere a Serenitate Vestra requirimus, si eo ventum erit, nimirum, ut populis nostris, qui literis passus, ut vocant, aut salviconductus nostri instructi ac muniti fuerint, liceat cum bona gratia Serenitatis Vestrae in inferiorem Germaniam et si quo praeterea in partes occidentis proficiscendum sibi esse existiment commerciorum suorum gratia navibus proficisci, indeque rursus ad domos suas et ditiones nostras remeare. Quod, cum et foederi nostro consentaneum sit et periculi nihil apportare possit, confidimus, Serenitatem Vestram non invitam esse concessuram. Hac enim quoque ratione levabitur aliquo modo iactura illa, quam interclusa penitus omni navigatione Serenitatem Vestram subire oporteret. Interest autem nostra et regni nostri magnopere, ne licitae et honestae navigationes ac commercia cum populis et principibus regni nostri sociis et amicis aliquo modo prohibeantur, id enim iam nunc quoque ab ordinibus regni nostri studiosissime est a nobis flagitatum.

Alterum, quod in hoc genere a Serenitate Vestra requirimus est illud, ut deinceps externis hominibus ne patiaturs Serenitas Vestra literas passus aut salviconductus ex cancellaria sua dari, quorum fides ipsi etiam Serenitati Vestrae certa esse non potest. Cum enim nobis hoc tempore bellum non solum cum Suedis, sed etiam cum Moscicis multo acrius intercedat, intelligit Serenitas Vestra, usum et navigationem maris nostri concedi iis nequaquam a nobis posse, qui Narvam tam ad Suedica, quam ad Moscovitica commercia proficiscuntur. Bene valere Serenitatem Vestram cupimus.

Datum Petricoviae, die XVI Januarii, anno Domini M.D.LXV, regni vero nostri anno XXXV.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.



*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico II<sup>o</sup> Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburgk et Delmenhorst, fratri, affini foederatoque nostro charissimo.

*Alia manu:* Polonica responsio ad prohibitionem Baltici maris navigationis necnon Narvam versus. Item excusationem Lubecensium c[oncernens].  
Productae Buringi <sup>2)</sup> 12 Martii anno [15]65.

a) curandiis in ms. lap. calami.

1) Scil. Erici XIV.

2) Recte Beiring, hodie Bjerring.

N. 37

*Petricoviae [Piotrków], 26 Ianuarii 1565.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
rogat, ut arma bellica Hafniae capta, mercatoribus Gedanensibus H. Meier  
et G. Niderman restituantur*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum Gottorumque regi, Slesvici, Holsatiae ac Ditmarsiae duci, comiti Oldenburgensi et Delmenhorstensi, fratri, amico et confoederato nobis charissimo salutem et fortunarum omnium accessionem.

Serenissime princeps, frater, amice et consanguinee noster charissime.

Henricus Meier et Georgius Nidderman, cives et mercatores nostri Gedanenses, cum arma bellica, loricas et alia id genus pro usu ac necessitate quorundam regni nostri senatorum ex inferiori Germania Gedanum navibus deportarent, contigit, ut ad fauces maris Balthici Hafniae a Serenitatis Vestrae praefectis, quod suspicarentur in Sueciam ea deVectum iri, prae-hensa interceptaque illis sint.

Confugerunt itaque ad nos supplices, ut pro ipsis apud Serenitatem Vestram de restitutione eorundem armorum interceptorum nostram intercessionem interponeremus. Quorum supplicationi annuentes, postulamus a Serenitate Vestra, quandoquidem non eo ab illis arma in tam remota provincia quaesita comparataque sunt, ut ea communi utrique nostrum hosti suppeditarent, sed potius, ut hominibus nostris et in ijs praecipuis quibusque senatoribus ac militiae praefectis in hac necessitate expeditionis contra Moschum gratificarentur, ut eadem ipsis restitui mandet. Qua in re non dubitamus Serenitatem Vestram nostrae intercessionis

aequissimam habituram esse rationem. Idque, ut Serenitas <sup>a)</sup> Vestra faciat obnixè rogamus, cui vicissim deferimus promptam in rebus omnibus nostram gratificandi voluntatem, eandem diu felicem valere cupientes.

Datum Piotrcoviae XXVI Januarii, anno Domini M. D. LXV, regni nostri XXXV<sup>0</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum, Gottorumque regi, Slesvici, Holsatiae ac Ditmarsiae duci, comiti Oldenburgensi et Delmenhorstensi, fratri, amico et confoederato nobis charissimo.

*Alia manu:* Polonicae literae promotoriales intercepta arma bellica concernentes.  
Productae Beiringi 22 Martii anno [15]65.

a) Ser-ma - in ms. lapsus calami.

N. 38

*Petricoviae [Piotrków], 6 Martii 1565.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de rege Erico et eius suspecta intentione ad pacem; de negotio cum  
nuntiis ducum Pomeraniae; de iusta detentione navium mercatorum,  
qui in Sueciam navigare solent.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico II<sup>o</sup> eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri et affini nostro confoederato charissimo salutem et fraterni amoris ac omnis foelicitatis continuum incrementum.

Serenissime princeps, domine, frater et affinis noster, confoederate charissime.

Non dubitaremus equidem, tum pro iis necessitudinum vinculis, quibus Maiestati suae Cesareae <sup>1)</sup> coniuncti sumus, tum pro egregia Maiestatis suae erga nos voluntate, quam nobis multis argumentis Maiestas eius testatam facere non praetermittit, causam nostram cum Suecorum rege <sup>2)</sup> Maiestati ipsius disceptandam committere, si res cum alio rege age-

retur. Verum, cum hunc istum Sueciae regem, videamus, parum sijn-  
cum animum ad hanc totam causam adferre, sicuti ipsi quoque Serenitati  
Vestrae obscurum non esse, arbitramur, idcirco, nobis interim ab hac  
eiusmodi disceptatione supersedendum nonnihil esse, existimamus, dum  
cognoscamus, quo potissimum evadant ea, quae hactenus nobis cum de  
pacificatione Suedica, tum per regis ipsius Sueciae oratores, tum per  
internuncios quoque illustrium Pomeraniae ducum sunt acta, praesertim,  
cum ad nos, etsi non satis adhuc pro certo, his diebus allatum sit,  
venire a Sueco literas salviconductus internuncio nostro, quem in Sue-  
ciam, postulantibus ita legatis Suedicis, ablegaturi eramus atque adeo,  
si literae salviconductus allatae fuerint, etiam ablegaturi sumus, quem-  
admodum id ipsi quoque Serenitati Vestrae, intelleximus, non displicere.  
Qua de re postea Serenitatem Vestram faciemus certiore.

Quod Pomeraniae duces attinet, qui se apud Serenitatem Vestram  
Caesareae Maiestatis auctoritatem sequutos fuisse, ostendunt, ad susci-  
piendam curam pacificationis nostrae, de eo nos quidem comperti nihil  
habere possumus, praeter id, quod nobis quidem ita prae se ferre vide-  
bantur, ab ipso Sueco fuisse se ad eam causam excitatos.

Quod autem naves eorum attinet, qui, cum in Sueciam prohibita a  
nobis navigatione uterentur, in nostram potestatem devenerunt, intelligit  
Serenitas Vestra, iuste a nostris detentas fuisse, cuiusmodi item plerasque  
alias ab hominibus Serenitatis Vestrae detentas antea fuisse, non dubita-  
mus, quanquam de eo sane Serenitatem Vestram nunquam appellavimus.  
Fecissemus autem non inviti, ut nos voluntati Serenitatis Vestrae de tra-  
dendis illis accomodaremus, sed priusquam literae nobis Serenitatis  
Vestrae redditae essent, nos quidem et naves et merces distrahi prorsus  
iusseramus, hactenusque distractas esse non dubitamus. Interim Sereni-  
tatem Vestram bene valere cupimus.

Datum Petricoviae, die VI Marcij, anno Domini M. D. LXV, regni  
vero nostri XXXVI.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico II<sup>o</sup> Dei gratia Daniae,  
Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesvitiae,  
Holsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburgk  
et Delmenhorst, fratri et affini nostro foederato charissimo.

*Alia manu:* Polonicae literae de Suedica pacificatione per eius <sup>a)</sup> ora-  
tores et Pomeraniae duces allatae <sup>b)</sup>. Item de retentione na-  
vium Hollandicarum (. . . .) <sup>c)</sup> Gedanensi.  
Productae Lundini 6 Aprilis anno [15]65.

*Item altera manu:* 6 Martij 1565.

a) *Lectio incerta* - suos?

b) *Lectio dubia*.

c) *Verbum deletum* - ducum?

1) *Scil. Maximiliano II.*

2) *Scil. Erico XIV.*

*Petricoviae [Piotrków], 13 Aprilis 1565.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae.  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de navigatione Narvica; de difficultatibus Lubecensium et Hamburgensium;  
de marchione Badensi et de liberatione ducis Finlandiae Ioannis.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.I.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gothorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri, affini et foederato nostro charissimo salutem prosperosque rerum omnium successus.

Serenissime princeps, domine, frater, affinis et foederate charissime.

Cum ab illustribus Pomeraniae ducibus <sup>1)</sup> de pacificatione Suedica nihil, ne ad nos quidem ipsos, scriptum aut relatum sit post id tempus, quo legatos et nuncios eorum a nobis dimisimus, nihil sane habemus, quod hoc tempore Serenitati Vestrae significemus. Si quid deinceps erit eiusmodi, non patiemur, Serenitatem Vestram ignorare, quod nobis vicissim de ipsa Serenitate Vestra pollicemur.

De Narvica navigatione prohibenda pergratum est nobis studium Serenitatis Vestrae, quod ex literis ipsius intelleximus. Unum in ijs admirati sumus, Lubecenses socios non absolute velle sibi ab ea navigatione temperare, sed conditionem ei rei apponere conari, quae ipsis tum per recessus eorum communes cum Anseaticis civitatibus serio interposito etiam certo genere infamiae est interdicta, tum per rationem etiam communium istorum foederum et pactorum nostrorum licere non videtur. Quam ob rem amanter a Serenitate Vestra petimus, ut illis officium suum ob oculos proponat et deinde admoneat, foederum quoque nostrorum rationem ab ipsis haberi oportere neque committi ab ijs debere, ut barbarus ac schismaticus <sup>2)</sup> hostis, cum omnium Christianorum communis, tum noster peculiaris, commercijs eorum ulla ratione adiuvetur aut instruat.

Quod ad Pomeraniae et Megapoliae <sup>3)</sup> et Prussiae duces <sup>4)</sup> nostrasque adeo civitates attinet, officio nostro non defuimus, nec deinceps defuturi sumus. Gedanenses quidem nostri perpetuo ab ea navigatione abstinerunt.

De Hamburgensibus et Hollandicis quibusdam est difficultas, quam quidem difficultatem facile Serenitas Vestra tollere poterit, constituta diligenti ad ostia et angustias Oresundenses provisione, ut praestetur saltem iusiurandum a praetereuntibus Hamburgensibus et Hollandis de Narva non adeunda.

Quod autem nuper Serenitati Vestrae significavimus per nuncios nostros de marchione Badensi <sup>5)</sup>, qui ducta in matrimonium Sueciae regis sorore <sup>6)</sup>, fide nostra per ditiones nostras transijt, is adhuc in ditionibus

nostris hactenus commoratur, detentus aegritudine uxoris suae scripsitque nuper ad nos, se, si ita nobis videretur, huc venturum esse ac de liberando illustri duce Finlandiae <sup>7)</sup> consilia communicaturum. A quo nos quidem alienos non esse, nos rescripsimus et quid porro facturus sit, expectamus. Bene valere Serenitatem Vestram cupimus.

Datum Petricoviae, die XIII Aprilis, anno Domini M. D. LXV, regni nostri XXXVI<sup>0</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso*: Ser-mo principi, domino Friderico II<sup>0</sup> Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburgk et Delmenhorst, fratri, affini et foederato nostro charissimo.

*Alia manu*: Polonicae literae Narvicam navigationem, marchionem Baudensem et alia concernentes.  
Productae Helsingbu[r]gi X Maii anno [15]65.

*Item altera manu*: 13 Aprilis 1565.

1) Scil. Barnimo IX et Ioanne Friderico.

2) Scil. Iuanus IV Terribilis.

3) Cfr. N. 40.

4) Scil. Albertus dux Prussiae.

5) Scil. Christophorus, marchio Badensis.

6) Scil. Cecilia, soror Erici XIV.

7) Scil. Ioanne.

N. 40

Grodnae [Grodno], 8 Augusti 1565.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de monitione marchioni Brandenburgensi et duci Megapolensi facta, ut  
pacem cum rege Daniae servant; de rebus Livoniae, Valachiae et  
Moscoviae*

(Orig., sig. vest.)

T.K.U.A. Polen. A.I.1.

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico II<sup>0</sup> eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gothorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorsth, fratri, affini et foederato nostro charissimo salutem et continui amoris incrementum.

Serenissime princeps, domine, frater, affinis et foederate noster charissime.

Quod ad nos Serenitas Vestra scribit de illustribus principibus Joanne marchione Brandenburgensi et Joanne Alberto Megapolensi duce, quasi ij, coniunctis cum ducissa Lotaringiae <sup>1)</sup> viribus et communicatis cum Suecorum rege <sup>2)</sup> consiliis, bellum ditionibus Serenitatis Vestrae illaturi videantur, id nos quidem de Illustriatibus eorum minime nobis persuademus. Cum enim cum utroque eorum non vulgares nobis necessitudines intercedant, Megapolensis autem praeterea in magnis rebus nonnullis gratia et benevolentia nostra hoc tempore utatur, neque aut hic, aut ille ignorare possit, quae nobis cum Serenitate Vestra pacta et foedera, quae cum Sueco inimicitiae et bella intercedant, non arbitramur, coniunctos nobis principes arma contra regem nobis foederatum, pro hoste nostro, esse ulla ratione sumpturos. Quicquid sit, id tamen, quod in hoc genere Serenitati Vestrae significatum est, nos, ne plus opinioni et persuasioni nostrae, quam postulatis Serenitatis Vestrae tribuere videamur, scribimus ad utrosque, ut, si quod forte consilium eiusmodi coeperint, id etiam atque etiam, quam rationem, quem denique exitum habiturum sit, considerent, ab armisque, primum non necessariis, deinde cum Christiano animo discrepantibus, postremo etiam nobis adversis, abstineant, seseque segregent. Quarum literarum exemplum Serenitati Vestrae mittimus. Atque hanc rationem dissociandis eiusmodi consilijs suffecturam esse apud prudentes et necessarios nostros principes, arbitramur.

Interim nos quoque rebus nostris, uti coepimus, in Livonia non deerimus, quarum successus, quemadmodum ad Serenitatem Vestram perlatum esse, non dubitamus, extiterunt hoc tempore per Dei gratiam nobis prosperi, provinciae illi salutares. Plura neque nos debere arbitramur, et quanquam Serenitati Vestrae vicini, affinis et foederati regis causa omnia cupiamus, tamen, occupatis nobis et intentis, tum in Scythicos, tum in Valachicos tumultus, qui saepe circum circa excitantur, praeterea autem gravi admodum et difficili Moscovitico bello distentis et implicitis nobis, non licet sane hoc tempore aliam cogitationem suscipere. Illud interim existimarem conducibile, ut Serenitas Vestra eam rem ad illustrissimum dominum Saxoniae electorem <sup>3)</sup> perferri curet eiusque et opera et industria in distrahendis eiusmodi consilijs utatur, quem pro ea affinitate, quae illi cum Serenitate Vestra intercedit, nihil esse Serenitati Vestrae negaturum, arbitramur. Bene valere beneque rem gerere Serenitatem Vestram optamus.

Datum Grodnae, die VIII mensis Augusti, anno Domini M<sup>o</sup>. D. LXV<sup>o</sup>, regni vero nostri XXXVI<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico II<sup>o</sup> Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gothorum regi, duci Slesvitiae, Holsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorsth, fratri, affini et foederato nostro charissimo.

*Alia manu*: Polonicae literae marchionis Johannis Brandenburgensis et Johannis Alberti Megapolensis ducum suspecta consilia cum Lotharingicis concernentes.  
Productae Helsingbu[r]gi 2 Septembris anno [15]65.

*Item alia manu*: 8 Augustj 1565.

1) *Scil. Christina, filia regis Danorum Christiani II.*

2) *Scil. cum Erico XIV.*  
3) *Scil. Augustum.*

N. 41

*Knissini [Knyszyn], 20 Iulii 1565.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae, ad Fridericum II regem Daniae, de pacificatione cum Suecis oratore regis Galliae mediatore; de navigatione Narvica; de bello cum Moscovia parando; de periculo ex parte Turcorum avertendo et de auxiliis principum Christianorum exspectandis.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesvitiae, Holsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri, affini et foederato nostro charissimo salutem et totius boni continuum incrementum.

Serenissime princeps, frater, affinis et foederate noster charissime.

Quemadmodum antea, sub initium tractatum pacificationis cum Sueco <sup>1)</sup>, professi sumus, nos publici boni causa ab honesta et foederibus nostris consentanea cum Sueco pace non abhorrere, ita nunc quoque in eadem perstamus sententia, nec recusamus, si ita Serenitati Vestrae ac sociis Lubecensibus videtur, tractatus pacis, modo ii et cum dignitate nostra coniungantur ac pacta et foedera nostra mutua ne quicquam violent.

Probatur autem nobis consilium Serenitatis Vestrae, quae, oratorem <sup>2)</sup> serenissimi Galliarum regis <sup>3)</sup> consilia sua cum Pomeranicis oratoribus coniungere debere, existimat, nec displicet Rostochium ad hos ipsos tractatus locus nobis omnibus ex aequo fere commodus, quo accedit et illud, quod visi sunt anno superiore in eum locum omnes consensisse. De paciscendis vero induciis gravior est deliberatio, hoc vero magis etiam periculosior, quod tutum non est credere candide nobiscum atque ingenue Suecum agere, praecipue vero, quod non incommodum ei esset indutiarum tempore peregrino se milite et diversis hincinde factionibus confirmare. Huc accedit et illud, quod, priusquam intelligamus, quo animo praecipuum articulum nimirum ipsam pacificationem amplectatur, non satis cum dignitate de induciis respondere posse videmur, sane, quia

induciae magis hosti quam nobis oportuna, dolo, quod antea experti sumus, non cariturae videntur, nobis probari non possunt. Nihilominus tamen, in arbitrium hoc Serenitatis Vestrae, quae propius eius istic inspicit consilia, reiicimus.

a) Caeterum, Hafniae proxime respondit Serenitas Vestra oratoribus nostris, relaxaturam se impeditam navigationem, si modo et nos et civitas nostra Dantiscana c[ed]erimus b), nihil nos earum rerum, quae importabuntur, in Sueciam transmissuros esse, quod ipsum quidem cum foedere nostro abunde iam non cautum saltem sit, verum etiam expressum, ut omnis in Sueciam navigatio a confoederatis undique impediatur, supervacaneum hoc tempore esse videtur. Quamobrem, Serenitas Vestra perficiet, ne quid expectatio eius cautionis relaxationem factam ulla ex parte impedire aut remorari videatur.

Perfertur autem quoque ad nos, complures naves rebus praecipue ad bellum necessariis, Narvam et nunc non ita pridem esse delatas et alias plerumque semper deferri. Cum vero Moscus non magis noster sit, quam Serenitatis Vestrae et totius Christiani nominis perpetuus hostis 4), unice in eo nobis elaborandum videtur, quod saepe alias ad Serenitatem Vestram perscripsimus, ut quam paucissimis armis rebusque ad bellum opportunis, instruatur, praecipue vero hoc tempore, quo indutiis cum Sueco pactis certum est, alterum ab altero armis rebusque bellicis iuvari armaeque et commeatum, superatis faucibus maris Baltici, per Narvam in Sueciam deferri. Iccirco a Serenitate Vestra etiam atque etiam cupimus, ut iubeat, naves in Balticum hoc mare descendentes iuramento obstringi de abstinendo prorsus a Narvica navigatione, quam nos omnino pati non videmur posse. Fecerit Serenitas Vestra rem prudentem et Christiano principe dignam ac mutuis quoque nostris officiis per omnem occasionem compensandam c).

Nos interea bellum contra Moscum paramus, cui ipsimet, si ita Deo Opt. Max. videbitur, interesse in animum inducimus, incendium quidem retro nos in Hungaria non parvum inter Caesaream Maiestatem 5) ac serenissimum Electum Hungariae, nepotem nostrum 6), cui Turcica adsunt auxilia, relinquimus, quod quidem hoc magis etiam est periculosum, quod in eo totius Christiani nominis negotium verti videatur. Sane, etsi noster sit nepos, cui negotium hoc est cum Caesarea Maiestate, tamen, quia is salubribus consiliis nostris parere recusavit et se afflictasque regni sui vires, non sine magno populorum vicinorum periculo, aperto potius discrimini exponere, quam quietiora consilia sequi, maluit, optamus, ut Caesareae Maiestati, fratri et affini nostro charissimo ex animi sententia cuncta succedant, quemadmodum quidem perlatum iam est ad nos, non infoeliciter Turcarum impetus iam istic aliquoties esse repulsos.

Maltenses quoque a Turcis oppugnantur, hucusque fortiter se gesserunt, primo ad moenia accursu mille barbarorum ceciderunt, nostrorum pauci admodum. Spes est, inopia aquae dulcis, diurnam istic moram hostem trahere non posse.

Auxilia Hispaniarum rex 7) et caeteri Italiae principes promittunt quidem, sed hostis iam ad portas sero nimis ea ventura expectantur, faxit omnium victoriarum largitor Deus, ut foeliciter nostris eveniat, quod ipsum etiam Serenitatem Vestram latere nolimus, eamque bene valere ac optatis successibus a Deo Opt. Max. cumulari ex animo cupimus.



Datum Knissini, XX die mensis Julii, anno Domini M. D. LXV, regni nostri XXXVI.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso*: Serenissimo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri, affini et foederato nostro charissimo.

*Alia manu*: Polonicae literae tractatum pacis concernentes.  
Productae Hafniae 26 Augusti anno [15]65.

*Item altera manu*: 20 Julij 1565.

- |   |  |
|---|--|
| a) <i>Hic in textu aperitur parenthesis quadrata forsitan manu rec.</i> | 1) <i>Scil. cum rege Erico XIV.</i>          |
| b) <i>Lectio incerta.</i>   | 2) <i>Scil. Charles de Dançay.</i>           |
| c) <i>Parenthesis quadrata hic clauditur.</i>                           | 3) <i>Scil. Caroli IX.</i>                   |
|   | 4) <i>Ivanus IV Terribilis.</i>              |
|   | 5) <i>Scil. Maximilianum II.</i>             |
|   | 6) <i>Scil. Ioannem Sigismundum Zapolya.</i> |
|   | 7) <i>Scil. Philippus II.</i>                |

N. 42

Grodnae [Grodno], 10 Septembris 1565.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
petitionem alicuius civis Gedanensis praesentat et commendat  
(Orig., sig.)  
T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburgk et Delmenhorst, fratri et affini nostro confoederato charissimo salutem et fraterni amoris ac omnis foelicitatis continuum incrementum.

Serenissime princeps, frater et affinis noster confoederate charissime.

Supplicatum est nobis ex parte civis nostri cuiusdam Gedanensis, cuius nomen et ipsius negocij rationem ex supplicatione ipsa, quam Serenitati Vestrae mittimus, Serenitas Vestra cognoscet. Postulamus a Serenitate Vestra, ut, quoniam causam iustam habere videtur, efficiat Serenitas Vestra, ut eum voti sui compotem reddat suisque mandet, ut, quae illi tanquam in Sueciam prefecturo adempta sunt anno superiori, ea nunc, uti subdito nostro et ei, qui merces suas dominijs nostris non alterius cuius-

quam intulit, restituantur, vel, si forte distractae sunt, aestimatio earum praestetur. Dabimus operam, ut subditi vicissim Serenitatis Vestrae eosdem nos erga se experiantur. Bene valeat Serenitas Vestra.

Datum Grodnae, die X mensis Septembris, anno Domini M. D. LXV, regni vero nostri anno XXXVI<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri et affini nostro confederato charissimo.

*Alia manu:* Productae Hafniae 1 Februarij anno [15]66.

N. 43

*Vilnae, 7 Decembris 1565.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
approbat omnia, quae hactenus in causa pacificationis cum rege Sueciae  
Erico per interpositionem principum nacta sunt.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri, affini et foederato nostro charissimo salutem et omnium honorum continuum incrementum.

Serenissime princeps, domine, frater, affinis et foederate noster charissime.

Quod nos Serenitas Vestra omnibus de rebus facit certiores, quae ad Suedicae pacificationis rationem pertinent, facit id Serenitas Vestra tum pro ratione foederum communium nostrorum, tum pro sua erga nos benevolentia, quae nobis est, ut esse debet, gratissima. Et quoniam saepe Serenitati Vestrae significavimus, nos a pace, quae modo a dignitate aliena non esset, alienos non esse, idcirco, quae hactenus ad pacem gesta sunt per Serenitatem Vestram cum ijs principibus vel eorum legatis, qui se ad conficiendam pacificationem interposuerunt, probamus.

Conditiones etiam ex parte nostra ad eam rem propositas esse eas, quae olim a commissariis nostris prolatae, foederi nostro communi inclusae sunt, contenti sumus. Quicquid postea successerit, faciet nos Serenitas Vestra, quemadmodum coepit, certiores. Ad nos etiam, si quid eiusmodi

pervenerit, quod Serenitatem Vestram scire interesset, sine mora ad Serenitatem Vestram perscribemus. Interea illam bene valere cupimus.

Datum Vilnae, die VII mensis Decembris, anno Domini M. D. LXV, regni nostri XXXVI<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesvitiae, Holsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri, affini et foederato nostro charissimo.

*Alia manu:* Productae 1 Februarii Haffniae anno [15]66.

*Item altera manu:* 7 Decembris 1565.

N. 44

Vilnae, 29 Ianuarii 1566.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
dubitat de sinceris intentionibus regis Erici ad pacem; de necessitate  
consensus principum Christianorum ad tractandam pacem et de idoneo  
loco ad eam negotiandam.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo, eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesvitiae, Holsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri, affini et foederato nostro charissimo salutem et omnis foelicitatis continuum incrementum.

Serenissime princeps, domine, frater, affinis et foederate noster charissime.

Accepimus proxime literas Serenitatis Vestrae, ex quibus, quo animo ad pacificationem sit Sueciae rex, abunde intelleximus. Sicut autem hic eiusmodi illius animus probari nobis non potest, qui privatas quasdam suas rationes et consilia turbulenta bono publico videtur anteferre, ita studium et diligentia Serenitatis Vestrae in perferendis ad nos ijs, quae illic in communi nostro negotio fiunt et geruntur, est nobis pergratissima, confidimusque, Serenitatem Vestram in ea porro esse permansuram. Nos etiam de officio nostro neque remisimus quicquam hactenus, nec ad extremum denique remissuri sumus, quin potius omnia libentissime suscepturi, quae ad tuendas omni ex parte mutui nostri foederis et societatis rationes pertinere videbuntur.

Quod ad hunc Suecici regis animum a pace alienum attinet, nos quidem, sicuti Serenitati Vestrae testes esse possumus, nunquam illam ab honesta pace refugisse, ita ipsi quoque Serenitatem Vestram testari possumus, pace et tranquillitate publica nihil nobis nec fuisse, nec esse antiquius, si modo ea a dignitate nostra non abhorreret et si nobiscum una foederatos omnes complecteretur. Verum, cum eius pacis et tranquillitatis tam sit difficilis ratio cum eo rege, qui, quoties modo Christianorum regum et principum cura et studio res communes ad aliquam pacificationis spem adductae sunt, toties eas infectas reddidit. Nos quidem causam nostram non deseremus et ea consilia, ad quae necessitate ipsa adigimur, ita per Dei gratiam moderabimur, ut nos et nostrae dignitatis et nostrorum salutis et socialis fidei et Christiani regis officij memores fuisse appareat.

De conventu in finibus regis illius habendo, quod expectare se scribit Serenitas Vestra sententiam nostram, ea adhuc a priore, quam Serenitati Vestrae perscripsimus, nihilo est immutata. Etenim, sive nos ipsos considerantibus nobis, sive adeo eos principes, quos pacificationi nostrae intervenire necesse est (neque enim ulla ratione res tanta sine arbitris Christianorum regum et principum praesentibus, aut suscipienda, aut tractanda esse videtur) utroque nomine conventus eiusmodi videtur esse perincommodus, partim propter itinerum longinquitatem et difficultatem, quam suscipere universos necesse esset, partim etiam, quod non satis ex dignitate nostra esse videretur, ad eum locum legatos et commissarios nostros de pace mittere, quem non tam delegisse ipsi nostra sententia, quam aliorum iudicio et opinione delectum et constitutum, ipsi aut errore, aut necessitate aliqua abrepti, secuti esse videremur. Locus igitur, nostra quidem sententia, primum omnibus ijs, quorum de pacificatione agitur, aequè commodus, deinde vero etiam ijs, quos constituendae pacificationi adhiberi necesse est oportunos deligatur, cuiusmodi non difficulter per totam Pomeraniam et Megapolim inveniri potest, tum nos quidem, quod ad communis nostri conventus locum attinet, aequè omnium dignitati et commoditati prospectum esse arbitrabimur. Si res inter Serenitatem Vestram et Suecorum regem duntaxat ageretur, finitimus ille conventus non videretur alienus, nunc autem, cum pacificatio sine nobis et Lubecensibus ex ratione foederis et societatis nostrae constitui nulla possit, intelligit procul dubio Serenitas Vestra, rationem non esse, ut ad eum locum de pace tractaturi adducamur. Rostochium aut Stralsundium aut, si qua urbs alia in Pomerania vel Megapoli constituta fuerit, nullam moram paci communi facturi sumus. Serenitatem Vestram bene valere optamus.

Datum Vilnae, die XXIX mensis Januarij, anno Domini M. D. LXVI<sup>o</sup>, regni nostri XXXVI<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesvitiae, Holsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorsth, fratri, affini et foederato nostro charissimo.

*Alia manu:* Polonicae literae de loco a Sueco ad conventum nominato. Productae Hafniae den 25 Februarij anno [15]66.

*Item altera manu:* 29 Januarii 1566.

Vilnae, 30 Ianuarii 1566.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
Nicolao Nicolai versus Narvam naviganti restitutionem navis et mercium  
negat; exponit rationes societatis belli inter reges conclusae.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae Samogitiaequae etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico II<sup>o</sup> eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri, affini et foederato nostro charissimo salutem et fraterni amoris continuum incrementum.

Serenissime princeps, domine, frater, affinis et foederate noster charissime.

Cum perpetua nostra erga Serenitatem Vestram voluntas, tum ipsa quoque ratio communis societatis nostrae id requirit, ut quacunque in re Serenitati Vestrae recte gratificari posse videamur, eam, ne detrectemus, vicissim autem recte facere Serenitas Vestra videtur, quod si quid est, quod praestari a nobis non possit, id in optimam partem interpretetur, et quidquid societatis nostrae rationibus adversetur, id a nobis serio non exigat.

Nunc, quod ad nos pro subdito quodam suo Nicolao Nicolai partes suas interponit, navemque cum mercibus, a speculatoribus nostris interceptam, restitui illi postulat, id quidem ex iis causis facere nobis licitum non fuit. Primum, quod ea navis ipsius Nicolai mandato Narviam, in ditionem Moscorum hostium nostrorum cum sale et halece mittebatur, quam navigationem et nos ipsi per regnum et ditiones nostras inhibuimus et, ut a Serenitate Vestra inhiberetur, aliquoties per litteras et nuntios nostros postulavimus. Deinde, etsi eo, quo potissimum destinabatur, non pervenerit, tamen in aliorum hostium communium nostrorum, Suecorum, ditionem deducta ibique commeatu exonerata, hostilibus mercibus instructa cumque iis in ditionem nostram deportata est. Cuiusmodi naves omnes ex Suecorum terra navigantes in commissum cadere, tum pacta ipsa nostra communia, tum etiam edicta tam nostra, quam ipsius Serenitatis Vestrae propria, satis testantur.

Ineset autem profecto non modo in re ipsa mali permultum, sed etiam multo plus in exemplo, si edicta ipsi nostra ita leviter habere videremur, ut qui adversus ea commiserint, non modo incastigati, sed etiam gratia et benevolentia quasi nostra affecti discesserint. Praeterea autem dubitari non debet, etiamsi fortassis in gratiam Serenitatis Vestrae restitui eas merces cum navi mandato nostro iuberemus, mandatum tamen nostrum eiusmodi executioni dari non posse, quod omnes illae merces procul dubio iam pridem a speculatoribus ipsis, quibus omnia eiusmodi praedae a nobis data sunt, distractae sint, ut etiamsi maxime velint, recuperare eas

tamen non possint. Quamobrem a Serenitate Vestra postulamus, ut interim in hac nostra declaratione acquiescat, in caeterisque rebus omnibus fraternam a [nobis studia <sup>a)</sup>] et officia sibi polliceatur. Quae bene valeat.

Datum Vilnae, die penultima Januarij, anno Domini M.D.[LXVI<sup>o</sup>] <sup>b)</sup>, regni vero nostri XXXVI<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico II<sup>o</sup> Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae,, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburgk et Delmenhorst, fratri, affini et foederato nostro charissimo.

*Alia manu:* Polonicae literae Nicolai Nicolai civis Hafniensis a Polonicis speculatoribus navem interceptam concernentes.  
Productae Hafniae 25 Februarij anno [15]66.

*Item altera manu:* 30 Januarii 1566.

a) *Lacuna in ms.*

b) *Lacuna in ms.*

N. 46

Vilnae, 2 Februarii 1566.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de eadem re*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaequae etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico II<sup>o</sup> eadem gratia, Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburgk et Delmenhorst, fratri et affini nostro confederato charissimo salutem et fraterni amoris continuum incrementum.

Serenissime princeps, domine, frater, affinis et confederate noster charissime.

Ante diem fere tertium respondimus ad litteras Serenitatis Vestrae, quibus nos de animo Suetiae regis erga communem pacificationem nostram fecit certiores, responsisque adeo ipsius exemplum ad nos misit, quod is Gallorum regis oratori dedit de pace laboranti <sup>1)</sup>. Quod quidem nobis a Serenitate Vestra pergratum extitit.

Quod autem; ad hunc Suecorum regis animum attinet, a pace, ut ipse videri vult, alienum nos quidem sicuti Serenitati Vestrae testes esse possumus, nunquam illam ab honesta pace refugisse, ita ipsi quoque Serenitatem Vestram testari possumus, pace et tranquillitate publica nihil nobis nec fuisse, nec esse antiquius, si modo ea a dignitate nostra non abhorreret et si nobiscum una foederatos omnes complecteretur. Verum, cum eius pacis et tranquillitatis tam sit difficilis ratio cum eo rege, qui quoties modo communes res ipsae ad aliquam pacificationis spem, cura et studio singulari Christianorum regum et principum adductae sunt, toties eas infectas reddidit, nos quidem causam nostram non deseremus et ea consilia, ad quae necessitate ipsa adigimur, ita per Dei gratiam moderabimur, ut nos et nostrae dignitatis et nostrorum salutis et socialis fidei et Christiani regis officij memores fuisse appareat.

De conventu in finibus regis illius habendo, quod expectare se scribit Serenitas Vestra sententiam nostram, ea adhuc a priore, quam Serenitati Vestrae ante aliquot menses perscripsimus, nihilo est immutata. Etenim, sive nos ipsos considerantibus nobis, sive adeo eos principes, quos pacificationi nostrae intervenire necesse est (neque enim ulla ratione res tanta sine arbitris Christianorum regum et principum praesentibus, aut suscipienda aut tractanda esse videtur) utroque nomine conventus eiusmodi videtur esse perincommodus, partim propter itinerum longinquitatem et difficultatem, quam suscipere universos necesse esset, partim etiam quod non satis ex dignitate nostra esse videretur, ad eum locum legatos et commissarios nostros de pace mittere, quem non tam delegisse ipsa sententia, quam aliorum iudicio et opinione delectum constitutum ipsi aut errore, aut necessitate aliqua abrepti, secuti esse videremur. Locus igitur nostra quidem sententia, primum omnibus ijs, quorum de pacificatione agitur, aequae commodus, deinde vero etiam ijs, quos constituendae pacificationi adhiberi necesse est opportunus deligatur, cuiusmodi non difficulter per totam Pomeraniam et Megapolim inveniri potest, tum nos quidem, quod ad communis nostri conventus locum attinet aequae omnium dignitati et commoditati prospectum esse arbitrabimur. Si res inter Serenitatem Vestram et Suecorum regem duntaxat ageretur, finitimus ille conventus non videretur alienus, nunc autem, cum pacificatio sine nobis et Liubecensibus ex ratione foederis et societatis nostrae constitui nulla possit, intelligit procul dubio Serenitas Vestra, rationem non esse, ut ad eum locum de pace tractaturi adducamur. Rostochium aut Stralsundium, aut, si qua urbs alia in Pomerania vel Megapoli constituta fuerit, nullam moram paci communi facturi sumus. Serenitatem Vestram bene valere optamus.

Datum Vilnae, die II Februarij, anno Domini M.D.LX.VI<sup>o</sup>, regni vero nostri XXXVI<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi domino Friderico II<sup>o</sup> Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri, affini et confoederato nostro charissimo.

*Alia manu:* Polonicae literae de loco conventus in finibus [Sueciae].  
Productae Hafniae 30 Martii anno [15]66.

*Item altera manu:* 2 Februarii 1566.

1) Scil. Charles de Dançay.

N. 46 a

Lublina, 28 Aprilis 1566.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
ut memor veterum et recentium pactorum civibus Gedanensibus liberam  
navigationem per portus Danicos concedat.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri et affini nostro confoederatoque charissimo salutem et fraterni amoris ac omnis felicitatis continuuum incrementum.

Serenissime princeps, domine, frater, affinis confoederateque noster charissime.

Miserunt ad nos exemplum litterarum Serenitatis Vestrae ad se proxime missarum spectabiles et famati proconsules ac consules civitatis nostrae Gedanensis, quibus quidem ex litteris intelleximus idem illud tentari hoc tempore a Serenitate Vestra adversus illam civitatem et reliquas omnes maritimas nationes a quo anno superiore supersederat Serenitas Vestra, adducta ijs rationibus, quas tum ad illam per legatos nostros afferere iusseramus magnas, ut arbitramur, et ad regnorum communium nostrorum tum vetera, tum recentia haec pacta et foedera accomodatas.

Videtur enim in iis litteris denegari transitus per portum Serenitatis Vestrae non modo subditis nostris Gedanensibus, sed alijs etiam exteris hominibus commercia cum nostris exercentibus, quem tamen transitum, meminimus, anno superiore fuisse a Serenitate Vestra liberalissime concessum. Quam ob rem supplicatum est nobis a praedictis civibus nostris Gedanensibus, ad Serenitatem Vestram litteras ut daremus, quibus pro mutua nostra cum Serenitate Vestra societate et amicitia a Serenitate Vestra contenderemus, ut eis per Serenitatem Vestram libera relinquatur haec per portum Danicum ultro citroque instituta et iam a Serenitate Vestra semel concessa navigatio.



Etsi autem, cum nos ipsi de rebus tantis et ad regnum nostrum tan-  
topere pertinentibus, antea a Serenitate Vestra certiores facti non sumus,  
quodammodo dubitamus, an haec eiusmodi claudendi portus sententia  
animo Serenitatis Vestrae prorsus insideat (existimamus enim Serenitatem  
Vestram, si quid pro certo in hoc genere constitutum apud se haberet, no-  
biscum prius pro mutuo nostro amore communicaturam fuisse, sicut  
alias quoque anno superiore de eiusmodi rebus nobiscum comunica-  
verat), tamen supplicantibus civibus nostris in re praesertim tanti mo-  
menti, quae ad universum regnum nostrum attinet, deesse non potuimus,  
itaque a Serenitate Vestra petimus, ut memor veterum et recentium pac-  
torum ac foederum, quibus regna nostra iam pridem inter se coniuncta  
denuo sunt proximis temporibus invicem copulata, memor item eorum  
privilegiorum, quae civitati Gedanensi privatim a Daniae regibus, Serenita-  
tis Vestrae antecessoribus, prolixissime sint concessa, de quibus omnibus,  
arbitramur, abunde anno superiore Serenitatem Vestram ab oratoribus  
nostris edoctam esse, memor denique concessionis suae anno superiore  
factae et nobis in responso Serenitatis Vestrae transmissae, relinquat sub-  
ditis nostris civibus Gedanensibus ultro citroque commeantibus caete-  
risque hominibus, mercimonia cum iis exercentibus, liberam per portus  
suos navigationem, quo quidem illi carere sine non modo civitatis suae,  
sed etiam universi propemodum regni nostri insigni damno et iactura  
posse non videntur. Quo magis sane veremur, ne, si ea libertas negata  
illis per Serenitatem Vestram fuerit, aliter id ab regni nostri ordinibus  
accipiatur, quam vellemus et quam tum Serenitatis Vestrae erga nos, tum  
nostra vicissim erga illam singularis benevolentia, foedere mutuo et so-  
cietate conglutinata flagitat et requirit.

Quod si nos enim omnibus Serenitatis Vestrae populis libertatem com-  
merciorum in regnis ac dominiis nostris et praestitimus hactenus semper  
et deinceps prolixissime praestaturi sumus, si modo se a commerciis cum  
hostibus nostris exercendis contineant, aequissimum sane esse et pro-  
prium Serenitatis Vestrae arbitramur, ut ipsa quoque vicissim eandem li-  
bertatem subditis et hominibus nostris conservet, praesertim, cum a nobis  
gravissimis interpositis poenis interdictum sit iam pridem, ne quis nostro-  
rum ulla cum Sueco, communi hoste nostro, commercia audeat exercere.

Quae res una esse videtur, quae toties Serenitatem Vestram, ut existi-  
mamus, ad consilium claudendorum portuum facit descendere, quam nos  
rem quidem, uti in nostris populis severe vindicarem, si qua eius nobis  
a quoque fides fieret, ita non dubitamus Serenitatem Vestram id, quod peti-  
mus, subditis nostris non gravate esse concessuram.

Bene valere Serenitatem Vestram cupimus.

Datum Liublini, die XXVIII Aprilis anno Domini M.D.L.XVI, regni  
nostri XXXVII<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico II<sup>o</sup> Dei gratia Daniae, Nor-  
vegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsa-  
tiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburg et Del-  
menhorst, fratri, affini et confoederato nostro charissimo.

*Alia manu:* Rex Poloniae rogat prohibitam navigationem subditis concedi.  
Productae Hafniae postridie Pentecostes <sup>1)</sup> anno [15]66.

1) *Id est 3 die Iunii 1566.*

N. 47

*Lublino, 29 Aprilis 1566.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de sustinenda prohibitione navigationis Narvicae, ne per importationem  
armamentorum potentia Mosci augeatur; ne etiam rex Sueciae com-  
moditatum ipsae navigationis particeps fiat; quaerit, quid Moschum  
ab invasione vicinorum regnorum possit impedire, si navigatio Narvica  
libera ei patuerit.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico II<sup>o</sup> eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri et affini nostro confoederato charissimo salutem et fraterni amoris ac omnis foelicitatis continuum incrementum.

Serenissime princeps, domine, frater, amice et confoederate noster charissime.

Rediit ad nos nobilis Michael Brunno secretarius noster a Serenitate Vestra cum responso. Cuius quidem responsi sententiam omnem tenemus, ad quam postea de plenioris consilij nostri sententia, quod ad comitia, quae post dies aliquot auspiciantur sumus, conventurum est, Serenitati Vestrae respondebimus.

Nunc tantummodo, quoniam in hac Narvica navigatione, de qua inhibenda toties iam cum Serenitate Vestra agimus, aguntur magnae, non solum regni et dominiorum nostrorum, verum etiam ipsius Serenitatis Vestrae et multorum Christianorum regum ac principum, rationes, facere non potuimus, quin Serenitati Vestrae aliquid perscriberemus, ut intelligat tandem, quantopere ea res tum nobis ipsis, tum omnibus Christianis regibus, inprimis autem ijs populis, qui oram Balthici istius maris accolunt, merito curae esse debeat.

Erimus autem in ea quoque re eo breviores, quo magis ex responso Serenitatis Vestrae intelligimus, ipsam quoque Serenitatem Vestram, pro sua prudentia, multa in hac navigatione pericula animadvertere, quibus factum esse facile nobis persuademus, ut ea deliberatio, toto hoc belli tempore Serenitatem Vestram perplexam, uti ipsa ait, et ancipitem tenuerit. Itaque, cum ad ea duntaxat paucis responderimus, quibus ad consilium permit-tendae eius navigationis vocari se et invitari Serenitas Vestra profitetur,

reliqua prudentiae ipsius ac consiliariorum ipsius amorique et pietati in communem Rempublicam Christianam commitemus.

Iam primum omnium satis constat, Moscum, vetere ac perpetuo suo instituto, hostem esse omnium gentium ac populorum, quos neque superstitioni suae obnoxios, neque tyrannidi subiectos esse videt. Id adeo constare inter oculos, illud manifestum indicium est, quod et Serenitas Vestra et Caesarea ipsa Maiestas <sup>1)</sup> et caeteri principes liberi atque Christiani, etsi navigationem Narvicam non in universum sustulerint, tamen armamentorum omnis generis caeterorumque, quibus potentiam eius hostis iuari posse crederent, importationem in Moscoviam severissimis edictis propositis interdixerunt. Tum autem praeterea, quod, etiamsi edicta principum nulla in hoc genere intercessissent, nemo tamen nostra quidem sententia tam proiectae ac deploratae cupiditatis mercator futurus esse videatur, nisi prorsus insaniat, quem ab importandis armis in Moscoviam non satis sua ipsius virtus suaque professio Christiana ab instituto revocet atque cohibeat. Quae res planissime convincit, hostem hunc ab omnibus iudicari.

Quod autem a caeteris mercibus non aequae, ut ab armis ad eum importandis abstinetur, nimirum a privatis quidem lucelli causa fieri Serenitas Vestra intelligit, principes autem, cum ea pericula, quae aliquanto absunt adhuc longius, parum ad se existiment interea pertinere, faciunt, ut alijs quidem ipsi facultatem Narvam navigandi permittant, alijs autem a Serenitate Vestra permitti postulent. Quorum utrunque, ut levissime dicamus, ab animo profecto nimis securo et rebus privatis ad tempus exiguum magis quam communibus ad perpetuitatem, ut oporteret, consulente profiscitur. Videt igitur Serenitas Vestra, quam exiguam vim apud eam habere debeant illa, quibus se, ad permittendam aut dissimulandam saltem eiusmodi navigationem, scribit invitari, postulata nempe vicinorum regum ac principum et foedus ipsius Serenitatis Vestrae cum Mosco ictum et faedere nostro per Serenitatem Vestram exceptum. Nam postulata quidem lucro solo nituntur, quod, si est, ut est, a rationibus Reipublicae Christianae totius alienissimum, pro damno potius, quam lucro duci ab omnibus deberet. Foedus autem Serenitatis Vestrae, quod sibi in pactis nostris excipiendum esse putavit, aliam, ut nos quidem existimamus, vim habere non potest, quam ut ne cogatur nobis Serenitas Vestra adversus Moscum auxilium ferre, si id ab illa forte exigeremus, quod non exigimus. Ut autem illum adversus nos armet et suis prope manibus instruat aut armari etiam et instrui ab alijs permittat, neque id, cum possit, inhibeat, id vero facere foedere ipso Moscovitico, profecto non cogitur.

Quid enim? An vero Serenitas Vestra, ut foederi suo privato obsequatur, alet et armabit, sciens et volens, hostem communem omnium liberorum populorum et eorum, qui sunt cum Serenitate Vestra communibus necessitudinum vicinitatum, foederum etiam, et quod summum est, communis ipsius religionis vinculis sociati? Equidem, non dubitamus, Serenitatem Vestram intelligere, si is, qui terrestribus alioqui praelijs tantum hactenus valuit, quantum Serenitas Vestra non ignorat, in mare aliquando vestigium posuerit, illectus oportunitatibus maritimis, quas profecto plenis iam quodammodo labris gustare incipit, quanto is demum formidabilior universae isti Septentrionis orae immineat. Cum enim artifices iam complures, hoc aditu patefacto, nactus sit, et nisi hic aditus praecludatur, plures etiam in posterum nancisci possit; cumque praeterea omni materia ad navem extruendas et, quod opus sit, ornandas, admodum abundet; cum denique populis suis, uti mancipijs ad omnia imperata expeditis, utatur, militem

mercenarium nullum desideret; postremo vero, cum ex literis, quae quominus, si navigatio permittatur, ultro citroque ad eum perferantur, prohiberi non possunt, de omnibus nostris et omnium negocijs non possit non fieri certior. Nimirum, etiam si tam callidus et tam veterator, quam est, non esset, tamen profecto tam dementem fingere non possemus, quin eum hac eiusmodi et materiei et artificum, et populorum suorum, et maris atque portuum et denique temporis ipsius atque occasionis commoditate tam insigni usurum esse, credamus, ad imperium suum, quod, tota mente voluere, dicitur, dilatandum, et delendum, quod absit, ac extinguendum nomen religionis, libertatis fortunarumque nostrarum. Ut nobis sane et bene vidisse et prudentissime sanxisse videantur civitates ipsae Anseae, quae navigationem hanc Narvicam decreto suo communi cum omni prorsus commerciorum genere, dicuntur, sustulisse.

Atque haec quidem pericula, quae dicimus, omnium sunt communia, nisi quod adhuc ex longinquo tam bene cerni ab omnibus ac videri non possunt, quam cernuntur a nobis in hac vicinitate, in qua Divi maiores nostri nosque ipsi etiam arma eius hostis, quae hactenus non erant tantopere externis praesidijs et artibus munita ac instructa, armis nostris, per Dei gratiam, sustinimus, nec, quod in nobis fuit, pedem eum in has oras ultra terminos ditionis ipsius proferre passi sumus.

Illa autem nostra sunt utriusque non solum propria, sed etiam praesentia pericula, quod ex commercijs istis Narvicis, Suecus etiam ipse, hostis noster, facile omnium commoditatum fit particeps, tum propter vicinitatis et maris ipsius opportunitatem, tum propter amicitiam et societatem, quae illi, non minus quam Serenitati Vestrae, cum Mosco intercedit. Equidem, illud pro certo ac comperto Serenitati Vestrae scribere possumus, Suecum, nisi aliquoties eius commeatus particeps factus esset, qui Narvam est deductus, ipsorum etiam subditorum suorum minis atque clamoribus coactum ad conditiones pacis iam pridem descensurum pacemque ipsam a nobis petiturum fuisse. Magnam enim rerum ad victum necessariorum penuriam rusticitas illa, cui soli propemodum Suecus dominari dicitur, amplius ferre iam non poterat. Quae, cum ita sint, communibus potius Serenitas Vestra periculis moveatur, quam privatorum lucris studeat. Et si aliena pericula, quod minime credimus, negligit, suis saltem ipsa prospiciat navigationemque hanc Narvicam per ditiones suas cum omni prorsus mercium genere tandem in universum prohibeat, neque committat, ut vel nunc iam hostem suum Suecum ad hanc contentiosam armorum disceptationem diutius aluisse vel in posterum Moscum ipsum ad commune omnium vicinarum et liberarum gentium excidium armavisse videatur. Quod, si enim navigatio haec libera Mosco diutius patuerit, quid erit, per Deum immortalem, quod eum ab occupandis omnibus circumcirca regnis et civitatibus possit impedire? Eandem enim viam sine negotio releget, quam ad se navibus nostris patere cernit, tum autem instructus artificibus nostris omnis generis et fretus ea, quod dicendum est], potentia ac ferocitate suorum, omnia populabitur et, quod Deus omen avertat, magnis cladibus Christianitatem afficiet. Id, si caeteri reges et principes Christiani intelligunt, iam nunc profecto rebus communibus consulere deberent, sin minus intelligunt, nobis saltem crederent, qui ex propinquo omnia certius intuemur. Quae interim Serenitati Vestrae ita, uti se habere existimavimus, significanda esse duximus eamque ad complectendam tempori rempublicam et ad hanc navigationem inhibendam pro

officio nostro et mutua societate ac benevolentia adhortari, uti facimus, volumus. Bene valere Serenitatem Vestram cupimus.

Datum Lublini, XXIX Aprilis, anno Domini M. D. LXVI<sup>0</sup>, regni vero nostri XXXVII<sup>0</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico II<sup>0</sup> Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, amico, fratri et foederato nostro charissimo.

*Alia manu:* Rex Poloniae hortatur Regem . . . .<sup>a)</sup> ad prohibendam Narvicam navigationem.  
Productae Hafniae postridie Pentecostes anno [15]66<sup>2)</sup>.

a) *Verbum illegibile* - nostrum? iterum?

1) *Scil. Maximilianus II.*

\*) *Haec verba citat CZAPLINSKI, W. Les ter-ritoires de l'ouest dans la politique de la Pologne de 1572 à 1764, in Acta Poloniae Historica IX (1963).*

2) *Id est die 3 Iunii 1566.*

N. 48

*Lublini, 2 Iulii 1566.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de prospectata pace cum rege Sueciae, de defensione Livoniae, de fide pactorum servanda*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaequae etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico II eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae et Ditmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, domino, amico, fratri et foederato nostro charissimo salutem et fraterni amoris continuum incrementum.

Serenissime princeps, domine, amice, frater et foederate charissime.

Accepimus Serenitatis Vestrae literas Kal. Maij datas<sup>1)</sup>, simul cum exemplis earum literarum, quas superioribus temporibus ad Serenitatem Vestram serenissimi Galliarum regis orator<sup>2)</sup>, qui apud Suedum<sup>3)</sup> est, de rebus Suedicis dederat. Ac inciderunt quidem hae Serenitatis Vestrae literae in magnas occupationes nostras, quibus factum est, ut respondere ad eas confestim non potuerimus, quamquam ne id quidem admodum necessarium esse videremus, quippe, qui memoria teneremus, ijsdem fere de

rebus paullo ante nos ad Serenitatem Vestram aliquoties sententiam nostram perscripsisse.

Nam et a pace quidem honesta alienos non esse nos ostendimus, et de conventu communi ad eam faciendam ita nos sentire demonstravimus, ut intelligeretur, aequissimum nobis prorsus et admodum necessarium videri, ita demum de loco conventus ipsius constitui, ut nostri quoque et nostrorum ratio in eo designando habita plane fuisse videretur.

In qua nunc etiam sententia libenter persistimus, nec ab ea Serenitatem Vestram discessuram esse, pro communium pactorum et foederum nostrorum ratione, confidimus. Quam nostram de Serenitate Vestra opinionem hae quoque ipsius literae, ad quas respondimus, abunde confirmarunt. Gratum autem nobis a Serenitate Vestra extitit, de omni tandem eius pacificationis successu, sive adeo spe ipsa, certiores fieri. Illud plane praeter opinionem et expectationem nostram accidit, quod ad defensionem Livonicam, amplius, nescimus quid, a nobis Serenitas Vestra flagitare nunc videtur, cum tamen paullo ante et exercitibus nostris a praefectis Serenitatis Vestrae, et nobis ipsis ab ipsa Serenitate Vestra, gratias in hoc genere actas fuisse, recordamur, et proxime, Pernoviam victoriae nostrae praemium deferri a nobis ad Serenitatem Vestram meminimus. Quas res sane documentum fore Serenitati Vestrae, sperabamus, nos in ea parte nec officio nostro deesse, nec nostrorum labori ulli parcere.

Ut interim caetera omittamus, quibus vere, ut opinamur, possemus, si vellemus, in hoc genere gloriari. Quid est enim, quod Livoniam, profligatam ac pene perditam provinciam hactenus sustinet? Quid est, quod eam a Suedicis, a Moscoviticis denique armis vindicat? Equidem non suis, ut opinamur, stat viribus, non suis se, aut opibus, aut manibus, tuetur ac defendit, omnibus, proh dolor! suis et aliorum praesidijs nudata ac destituta provincia. Sed, quod stat tamen, nec tota crudelibus hostium armis occupatur, Deo id inprimis, deinde nostris quoque et armis et sumptibus maximis, quos in ipsius defensionem hactenus fecimus, universum deberi arbitramur. Quamobrem, cum nos quidem et egregie nobis in hoc genere conscii simus et rebus denique ipsis docere satis possimus, nos in Livonia non cessare. Deinde vero etiam, cum in eo genere nec in Serenitatem Vestram ipsi inquiramus, nec, ut id faciamus, ulla nobis ratione licere arbitremur (cum ratio quidem pactorum nostrorum haec omnia fidei uniuscuiusque nostrum apertissime permittat), sed et contenti eo sumus, quod Serenitatem Vestram sponte sua ad tuendam communem societatem hanc nostram adferre videmus, et id duntaxat in eo novimus, quod ex literis ad nos Serenitatis Vestrae interdum haurimus, rogamus, ut ipsa quoque Serenitas Vestra eundem erga nos animum retineat, eundemque morem conservet. Nam defensio profecto Livoniae tanti iam nobis hactenus constitit, quanti vix ipsa vendi olim potuisse, videretur. Atque haec quidem omnia idcirco scribimus, ut intelligat Serenitas Vestra, cupere nos in alia esse opinione apud Serenitatem Vestram. Quam optime valere cupimus.

Datum Lublini die secunda Julij, anno Domini M. D. LXVI<sup>0</sup>, regni nostri anno XXXVII<sup>0</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesvitiae, Holsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, amico, fratri et foederato nostro charissimo.

*Alia manu:* Productae Fridrichsburgi, 5 Augusti anno [15]66.

1) *Scil. die 1 Maii 1566.*

2) *Scil. Charles de Dançay.*

3) *Id est regem Ericum XIV.*

N. 49

*Hafniae, 1 Maii 1566.*

*Fridericus II rex Daniae,  
ad Sigismundum Augustum regem Poloniae,  
de nuntiis regis Galliae; de separata pace sibi a rege Sueciae proposita;  
pro suis subditis in Livonia intercedet  
(Minuta).*

*T.K.U.A. Polen. A.I.I.*

Fridericus secundus Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum, Gothorumque rex, dux Slesvici, Holsatiae, Stormariae ac Diethmarsiae, comes in Oldenburg et Delmenhorst serenissimo principi, domino <sup>a)</sup> Sigismundo Augusto regi Poloniae, magno duci Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogithiaeque domino et haeredi, fratri, affini et foederato charissimo salutem et continuum foelicitatis incrementum.

Serenissime princeps, frater, affinis et foederate charissime.

Quid per Christianissimi Francorum regis legatum <sup>1)</sup> a mense Novembri (eius enim die decimo literas ea de re postremum ad Serenitatem Vestram dedimus) hactenus de pace cum hoste nostro communi gestum sit, Serenitas Vestra ex inclusis perspiciet.

Interim allatae sunt nobis Serenitatis etiam Vestrae literae, quibus testabatur, minime sibi in confinibus horum regnorum de pace communi tractationem commodam videri. Postremum vero iam Sueciae regis scriptum, ut apparet, nobis quidem separatim tractationem permittit, socijs non dissimulanter exclusis. Id quod eodem sane modo a nobis acceptum est, quo antea a Serenitate Vestra, cum idem illi ab eodem deferretur, acceptum cognovimus. Neque enim consentaneum iudicari debet a foederum pactis, dummodo illa mutuo observentur, discedere maioremque utilitatis privatae, quam fidei decorisque rationem habere. Quod cum nobis de Serenitate etiam Vestra persuadeamus, recte fecerit illa, si nobis, quid illi in rem communem de pace nunc amplius videatur, cum hoc homine nostro perscripserit, deinde, ex pacto etiam, sicut proxima legatione monuimus, hostem communem armis e Livonia propellere institerit. Neque enim uno modo nobis rei que communi nocuit bellum ea ex parte negligentius admi-

nistratum. Quantum vero et hosti inde accessionis spirituumque accreverit, constat publice. Non revocabimus in memoriam, quam misera fuerit hactenus subditorum istic nostrorum sitque <sup>b)</sup> adhuc eadem de causa ibidem conditio. Quapropter rogamus amanter proque mutuo etiam foedere postulamus, ut Serenitas Vestra, quid foedera praescribant, quidque sui sit ea in re officij, considerare velit rebusque communibus amplius non deesse. Facile enim intelligit ipsa damnum, quod ea ex re ad nos nostrosque redundavit aut redundaturum est, iure optimo inde peti posse, unde eius causa manavit. Quod ita tamen Serenitas Vestra accipiet ut statuat <sup>c)</sup> omnibus modis gratam esse <sup>d)</sup> nobis Serenitatis Vestrae amicitiam, rerum tamen communium statum, ut hoc <sup>e)</sup> dissimulari non posset, flagitasse. Quanquam non dubitamus, Serenitatem Vestram sua sponte hoc, quod monemus, velle, ideoque opere ipso testaturam, non ingratas ipsi nostras ea de caussa, fuisse literas. Quod, ut faciat, iterum atque iterum, rogamus. Optime valeat Serenitas Vestra.

Hafnia, 1<sup>o</sup> die mensis Maij Anno M .D. LXVI<sup>o</sup>.

*In dorso:* Serenissimo principi, domino Sigismundo Augusto regi Poloniae, magno duci Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogithiaeque domino et haeredj, fratri, affini et foederato charissimo.

*Alia manu:* Regi Poloniae, Hafniae 1 Maij [15]66.

Retz

a) domino - *scriptum in margine.*

1) Scil. Charles de Dançay.

b) *Correctum, illegibile in ms.*

c) *Hic verbum statuat primum in textu in-scriptum, expunctum est cui superscriptum est namque etiam expunctum et iterum superscriptum statuat.*

d) *In ms. gratam esse - expunctum et iterum superscriptum.*

e) *In ms. - id - deletum.*

*In ordine archivistico sequitur scida, praeparata in cancellaria regia Polonica, cum nota:*

Quod attinet tempus transactioni praestituendum, id nullo modo res nostrae mutuae patiuntur, ut aliud commodius iudicemus, quam ut si non ad finem saltem ad medium Septembris quod quidem fieri cuperemus, praestituatur. Ad quod tempus a nobis oratores ablegati opportune illic adesse posse videntur, de quo in tempore nos Serenitas Vestra certiores reddat, ut quid facto nobis communis utilitatis causa opus fuerit mature dispicere possimus. Iniurias subditorum Serenitatis Vestrae, si quibus affecti sibi videntur a speculatoribus maris nostri, mandato nostro commissarii nostri ex aequo et bono iudicaturi sunt.

*Alia manu (in cancellaria regia Danica):*

Extract

Konings zu Polen schreibens

de defensione Livonica.

*Sequitur extractus litterarum regis Sigismundi Augusti de die 2 Iulii 1566, v. N. 48.*



Lublina, 20 Iulii 1566.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
significat receptionem litterarum per S. Loicz missarum; de equis aliquot  
in Daniam missis.*

*(Orig., sig. vest.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvagiae, Gothorum, Vandalorumque regi, duci Slesvici, Holsatiae, Stormariae ac Diethmariae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri, affini et foederato nostro charissimo salutem et continuum foelicitatis incrementum.

Serenissime princeps, frater, affinis et foederate noster charissime.

Ex his literis, quas Serenitas Vestra per Stefanum Loicz fidelem nobis dilectum ad nos misit, intelleximus postulationem Serenitatis Vestrae de equis aliquot idoneis Serenitati Vestrae a nobis mittendis. Qua in re, quod Serenitas Vestra opera quoque nostra inter caeteros amicos suos usa sit, pergratum sane nobis accidit. Et quamvis postulationi huic Serenitatis Vestrae a nobis forsitan tardius, quam Serenitas Vestra desiderabat, satisfiet, hoc tamen minime nostra culpa factum esse iudicabit, sed potius in eam partem accipiet, quod nimis sero hae nobis Serenitatis Vestrae literae redditae sunt. Nam nos continuo atque eas accepimus, curavimus diligenter, ut hac in re operam nostram Serenitati Vestrae nulla interposita mora amice et non gravatim praestaremus. Uti quidem iam Serenitati Vestrae, per eundem memoratum Loiczium equos duos mit[t]imus ad usum Serenitatis Vestrae, ut speramus, idoneos, quos Serenitas Vestra a nobis amice acceptos certo sibi persuadebit, nos non hac solum in re Serenitati Vestrae libentissime gratificari, sed quicquid post hac Serenitati Vestrae causa a nobis fieri possit, benevolo ac parato animo semper facturos esse. Quam diu bene foeliciterque valere cupimus.

Datae Liublina die vicesima mensis Julij, anno Domini M.D. LXVI<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvagiae, Gothorum, Vandalorumque regi, duci Slesvici, Holsatiae, Stormariae ac Diethmariae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri, affini et foederato nostro charissimo.

*Alia manu:* Productae Hafniae ultimo Septembris anno [15]66.

+ 13.

Lublīni, 3 Septembris 1566.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
rogat, ut pannos Londinienses, spectantes ad cives Gedanenses J. Brandes  
et M. Zimmerman et in Sundo praeheensos, restitui faciat.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico II<sup>o</sup> eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesvitiae, Holsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri, affini et confoederato nostro charissimo salutem prosperosque rerum omnium successus.

Serenissime princeps, domine, frater, affinis et confoederate noster charissime.

Admodum dolenter conquaesti sunt nobis Joannes Brandes proconsul, Mathias Zimmerman consul alijque cives nostri Gedanenses, pannos suos Londinienses ad XV millia aureorum aestimatos, in Sonda navi ex Anglia appulsa exemptos, ad instantiam cuiusdam Serenitatis Vestrae civis Copenhagij, Nicolai Nielsen detineri, nullam aliam ob causam, quam quod fiscales nostri navem illius, mille fortassis aureorum, ex Suedia appulsam ideoque fisco nostro commissam, hactenus detinent. Fuit quidem praedictus Nicolaus Nielsen cum Serenitatis Vestrae litteris apud nos Vilnae, ut navis detentae liberationem obtineret, sed is ad commissariorum nostrorum legitimum tribunal Gedanum remissus, spreto nostro iussu, non comparuit, verum recta via in Daniam profectus, per malam informationem adversus cives Gedanenses, subditos nostros, detentionem mercium a Serenitate Vestra impetravit. Quinimo, cum fiscales nostri servo illius, Gedani, apud spectabilem senatum navem detentam repetenti, cognitionem iudicalem et sub cautione navis liberationem offerrent, omnem is et cognitionem et cautionem superbe denegavit, aperte ostendens, se in Dania in civium nostrorum bona grassaturum et contra divinas, humanas et omnium gentium scriptas leges contraque bona amicitiae, foederum et vicinitatis nostrae iura, ius sibi dicturum esse.

Quae res, quando senatui Gedanensi peracerba et gravis accidit, non solum adversus omnia iura et naturalem aequitatem, sed etiam contra inveteratas libertates et hucusque servatum morem, quo semper cives Gedanenses libere usi sunt, ut quivis eorum, non nisi in suo foro, ubi domicilium habet, secundum iuris ordinem conveniatur, nec ullum liberae navigationi per Sondam impedimentum adferatur, supplicatum nobis fuit, ut apud Serenitatem Vestram de pannorum interceptorum restitutione per litteras nostras ageremus. Cui supplicationi aequissimae eo etiam facilius annuendum esse duximus, quod ex ea praefata mercium detentione adversus cives nostros impetrata, etiam auctoritati nostrae quodammodo etiam detrahi videtur, dum in subditos nostros innocentes et non, nisi licita commercia exercentes, plus iuris exercetur, quam nobis concedi videtur in eos, qui illicita quaeque adversus foederis et aequitatis rationem admittunt.

Quemadmodum de eo ipso praefato Nicolao Nielsen constat, eum iniquissimis artibus ad usurpandam tam Suedicam, quam Narvensem navigationem litteras passus circumtulisse.

Postulamus igitur a Serenitate Vestra pro amicitiae et foederis ratione ipsiusque innocentiae et aequitatis favore, ut praefatos pannos interceptos civibus nostris non solum restitui et re integra, praestitis omnibus damnis et expensis, Gedanum ab improbo detentore importari mandet, sed etiam, ne deinceps in subditos nostros licito modo et iure commercia exercentes et cognitioni legitimae, omnibus iure agere volentibus, sese sistentes, tam iniqua et indigna admittantur. Quod, si quas actiones praefatus detentor Nicolaus Nielsen adversus fisci nostri procuratores et speculatores se habere existimat, adeat competentes iudices et ad eam rem a nobis constitutos commissarios nostros et secundum iuris ordinem ius suum deducat, nec in cives nostros Gedanenses (qui de alieno facto, ut teneri, ita multo minus nostrorum speculatorum factum praestare nec debent, nec possunt) culpam contra iuris formam transferat. Qua in re, confidimus, Serenitas Vestra postulationis nostrae aequissimae habituram esse rationem idque, ut Serenitas Vestra faciat, etiam atque etiam cupimus. Cui vicissim deferimus promptam rebus in omnibus gratificandi voluntatem, eandem diu foelicem valere cupientes.

Datum Liublino, die III Septembris, anno Domini M. D. LXVI. regni nostri XXXVII<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico II Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri, affini et confoederato nostro charissimo.

N. 52

*Varsaviae, 26 Septembris 1566.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
exponit rationes et conditiones conventus pro tractanda pace cum rege  
Suecorum Erico.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo Daniae, Norvegiae, Gottorum, Vandalorumque regi, duci Slesvici, Holsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri, affini et foederato nostro charissimo salutem et foelices successus.

Serenissime princeps, domine, frater, affinis et foederate noster charissime.

Ex literis Serenitatis Vestrae, Hafniae, vigesima quarta die Augusti ad nos datis, intelleximus, Serenitatem Vestram conari principum aliquod pacificationis constituere ac ideo in conventum cum Sueco consensisse, in quo conventu daturam se etiam operam pollicetur, ut tractetur de loco et tempore, quo omnium confoederatorum commissarii cum Suedicis conveniant.

Ac gratum est sane nobis officium hoc Serenitatis Vestrae, quae omnibus de rebus copiose nos certiores facere nunquam intermittit, non possumus tamen satis colligere, qualis is sit cum Sueco futurus conventus, cum pacta nostra communia nullos cum Sueco tractatus citra omnium simul confoederatorum pacificationem admittant, quod ipsum animadvertimus nos quidem Serenitati Vestrae curae esse, sed tamen, qui istic sint futuri tractatus foederibus nostris non contrarii, non videmus, nisi forte id sit futurum eius conventus propositum, ut de loco et tempore pacificationis cum confoederatis omnibus serio iam tandem conveniatur, quod quidem nos, si nihil ibidem insciis nobis concludatur et dignitatis nostrae aequa ratio habeatur, facilius ferre possemus.

Verum, quemadmodum Serenitas Vestra ipsa iudicat, cum non sit ex dignitate nostra ad eum istuc conventum commissarios nostros mittere et Serenitas Vestra promittat, bona se fide nihil adversus pacta et foedera nostra mutua commissuram, sed effecturam, ut iis omnino satisfiat, freti hisce Serenitatis Vestrae promissis fideque ferendum nobis existimamus hunc cum Suedicis commissariis congressum, ea tamen conditione, ut tractatus quidem de stabilienda pace ineantur, verum, ne quid istic, quemadmodum est foederibus nostris compraeheusum, concludatur, nisi prius ad nos et confoederatos referatur, persuademus autem nobis omnino, quemadmodum nos variis modis iam aliquoties sollicitati a foedere cum Serenitate Vestra avelli nos passi non sumus, ita Serenitatem quoque Vestram nihil commissuram eiusmodi, quod aut foederum, aut amicitiae nostrae iura violare ullo modo posse videatur. Bene valere Serenitatem Vestram cupimus.

Datum Varsoviae XXVI die mensis Septembris, anno Domini M. D. LXVI, regni nostri XXXVII.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Serenissimo principi, domino Friderico secundo Daniae, Norvegiae, Gottorum, Vandalorumque regi, duci Slesvici, Holsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri affini et foederato nostro charissimo.

*Alia manu:* Polonicae literae de pacificatione praetensa cum Suedicis commissariis aliisque confoederatis.  
Productae Friderichsburgo 23 Octobris, anno [1]566.

*Item altera manu:* 26 Septembris 1566.

Hafniae, 18 Octobris 1566.

*Fridericus II rex Daniae,  
ad Sigismundum Augustum regem Poloniae,  
de Suecis in Osilia; de rebus Livoniae; de Parnavia duci Magno tradenda.*

*(Exemplar)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Fridericus secundus Daniae etc. rex serenissimo principi, domino Sigismundo Augusto Poloniae regi etc. salutem etc.

Suecum, hostem nostrum communem, Osiliam praeterita hyeme depulatum esse et in miseros homines flamma et ferro saevijisse, Vestra Serenitas multo ante nos tempore audivisse, minime dubitamus. Cum vero id nobis praeter spem et opinionem nostram magno subditorum nostrorum malo acciderit, qui Vestrae Serenitatis auxilio iure foederis debito destituti ita oscitantes quasi ab hoste oppressi et indigna calamitate adfecti sunt, facile per se Vestra Serenitas considerabit, quam hoc sit et subditis nostris molestum et intolerabile, nobis grave ipsisque foederibus longe indignissimum. Hostis enim sua natura satis insolens, hac ratione in dies magis magisque confirmatur. Nam, dum in ijs partibus Vestrae Serenitatis homines rerum suarum non satagunt, foeliciter quaevis et tentat et audet hostis, unde nobis dedecus, illi gloria comparatur.

De his igitur cum magni non solum ad utilitatem, sed honorem etiam nostrum intersit sedulo Serenitatem Vestram admoneri, fraterne et amice petimus, ut Serenitas Vestra, in quam foederatarum <sup>a)</sup> partium defensionem reiecerunt, serio suis demandare velit, ut maiori cura, quam antehac factum est, nostrorum id loci rationem habeant, ne studiose ab his defensionem hucusque praetermissam, quam quod iuste aliqua de causa praepe-diti fuerint, nobis persuadendi vel aliorum malorum etiam aliquando occasionem praebeant.

Pernoviam, quam Serenitas Vestra proxime apud nos legato nobis concedi voluit, amanter petimus, ut Serenitas Vestra illust. principi, fratri nostro charissimo, duci Magno secundum pacta foederum una cum instrumentis bellicis tradi mandet.

Haffnia, XVIII Octobris anno LXVI<sup>o</sup>.

*In dorso:*

Ad Regem Poloniae,

ut maiori cura defensionem Livoniae suscipiat, ducique

Magno Pernoviam tradat.

Haffnia XVIII Octobris LXVI<sup>o</sup>.

a) *in ms.*: foederarum.

*Knissini [Knyszyn], 25 Ianuarii 1567.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
percrebrescentibus rumoribus de conventu inter reges Daniae et Sueciae,  
recordatur conditiones suas ad tractandam pacem cum rege Erico et  
monet, ne se a fide foederis abduci patiatur.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Eldenburgk et Delmenhorst, fratri, affini et foederato nostro charissimo salutem et fraterni amoris ac omnis foelicitatis continuum incrementum.

Serenissime princeps, domine, frater et confoederate noster charissime.

Publico passim sermone perfertur ad nos, Serenitatem Vestram cum Sueco, hoste nostro communi, constituendae pacis causa, propediem congedi debere. Recordamur autem, Serenitatem Vestram non ita pridem certiores nos fecisse per literas suas, velle Serenitatem Vestram oratores suos ad colloquium cum Sueco ablegare, non ut quicquam de pace istic statuatur, verum, ut saltem de conditionibus pacis inter Suecum et Serenitatem Vestram tractetur, conclusionem autem communis pacis in aliud tempus reiiciendam esse et in locum magis commodum, quo et nos cum dignitate oratores nostros ablegare possemus, nam ad eum istuc conventum in fines Daniae et Sueciae regnorum, ne ipsi quidem Serenitati Vestrae cum dignitate oratores nostros mittere posse videbamur.

Nunc, etsi certo persuadeamus nobis, Serenitatem Vestram ab antiquo vicinitatis nostrae iure ac a boni vicini officio in eo genere discessuram non esse et vero inprimis pactorum et foederum nostrorum fidem salvam esse conservaturam, tamen, cum iste rumor magis in dies percrebresceret, existimavimus, admonendam nobis iterum esse Serenitatem Vestram, ne se ullis consiliis abduci patiatur a fide foederum nostrorum, quae nos ita semper firmiter tutati sumus, ut inique etiam tulerimus, cum Suecus nos aliquoties sollicitaret, ut absque Serenitate Vestra de pace cum ipso conveniremus.

Cupimus itaque, ut Serenitas Vestra, eius rei memor, perscribere ad nos velit, quid de eo pacificationis negotio nunc istic agatur, quove consilio et quibus conditionibus hi nunc tractatus suscepti fuerint ac quid de communi nostrorum omnium oratorum conventu in loco ex omnium dignitate sperari debeat, ut et nos, quid porro de hoc negotio statuendum sit, intelligamus. Cupimus autem, Serenitatem Vestram bene foeliciterque valere ac prosperis successibus a Deo Opt. Max. cumulari.

Datum Knissini, XXV die mensis Januarii, anno Domini M. D. LXVII, regni nostri XXXVII.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Serenissimo principi, domino Friderico secundo Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesvitiae, Holsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Eldenburgk et Delmenhorst, fratri, affini et foederato nostro charissimo.

*Alia manu:* Productae 27 Februarij Haffniae [15]67.

*Item altera manu:* 25 Januarii 1567.

*Hic in ordine archivistico sequitur exemplar litterarum quorum orig. in numero sequenti suprascriptum:*

Responsio Regis Poloniae. Promittit defensionem Livoniae.

N. 55

*Knyschynii [Knyszyn], 25 Februarii 1567.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
nuntiat se recepisse litteras de Osilia per Suecum depopulata, se iam misisse Ioannem Chodkiewicz ad defendendam Livoniam.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Samogitiae, Masoviae, Livoniaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesvitiae, Holsatiae, Stormariae et Dithmariae, comiti in Oldemburk et Delmenhorst, fratri, affini et foederato nostro charissimo salutem et fraterni amoris omnisque foelicitatis continuum incrementum.

Serenissime princeps, domine, frater et affinis noster charissime.

Redditae sunt nobis literae Serenitatis Vestrae, datae XVIII<sup>a</sup> die mensis Octobris anni proxime elapsi, vlt. sexagesimi sexti supra sexcentimum <sup>1)</sup> milesimum, quibus commemorans <sup>a)</sup> nobis, quomodo praeterita hyeme Suecus hostis noster communis, Osiliam depopulatus sit et in subditos Serenitatis Vestrae flamma et ferro sevierit, expostulare quodammodo et conqueri videtur, quasi id illis subditis eiusdem acciderit <sup>b)</sup>, destitutis au-

xilio nostro iure foederis debito; quodque hostis sua natura insolens ea ratione magis magisque confirmatur, idque maxime negligentia hominum nostrorum, qui in illis partibus rerum suarum minus satagunt; quapropter fraterne ac amice petit a nobis Serenitas Vestra, utpote quibus earum partium ex foederibus defensio incumbit, ut serio nostris demandemus, quo maiori cura, quam antehac factum est, subditorum Vestrae Serenitatis id loci rationem habeant.

Atque ea de re, ita certo certius persuasum habere velit Serenitas Vestra, nos et probe semper memoria tenere et sedulo constanterque, conservare ea omnia, de quibus in pactis ac foederibus inter nos constitutis convenit. Atque inter caetera, etiam non mediocribus sumptibus nostris continuo alere ac fovere praesidia militum isthic in Livonia maxime contra eundem communem hostem nostrum Suecum <sup>2)</sup>, ac neque negligentia seu ignavia ulla, vel quacumque culpa eorundem militum nostrorum factum, quod hostis ea ipsa praeterita hijveme partes quasdam ditionis Serenitatis Vestrae istic infestaverit seu depopulatus sit, quin potius id ipsum repentinae atque inopinatae irruptioni hostis adscribendum esse. At qui, ut petitis Serenitatis Vestrae satisfaceremus, accuratius demandavimus militibus nostris, quo porro tanto maiore cura ac diligentia defensionis protectionisque earum partium insistant, ne quid unquam existat, quod in eorum offitiis iure desiderari videri possit. Iam vero hac praesenti hijeme ablegavimus a nobis illuc in Livoniam cum copiis nostris illustrem ac magnificum Johannem Chodkowicz, baronem in Schklow et Bichow, necnon Samogitiae Livoniaeque capitaneum et administratorem generalem ducemque exercitus nostri in Livonia etc., cui pari modo iniunximus diligentius rationem habendam defensionis protectionisque partium ditionum Serenitatis Vestrae, nisi, quod perfertur ad nos, milites nostros in partibus ditionis Serenitatis Vestrae nusquam sub tecta admitti recipique ac atque proinde ob gravem incommoditatem hijberni temporis diutius illic contra hostem consistere non posse.

Porrho, quod ad restitutionem Pernavien[sem] attinet, etsi nihil non pro pactorum et foederum ratione semper implere parati simus, tamen cum [diplo]mata seu literas eorundem pactorum ac foederum interim penes nos non habeamus, revisis tandem illis plenius hac ipsa de re ad Serenitatem Vestram responsuri sumus. Tandem, quod restat, Serenitatem Vestram optime valere ac semper foelicem esse cupimus.

Datum Knyschynii, die XXV Februarij, anno Domini M D LXVII<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Serenissimo principi Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesvitiae, Holsatiae, Stormariae et Dithmersiae, comiti in Oldemburg et Delmenhorst, fratri, affini et foederato nostro charissimo.

*Alia manu:* 25 Februarii 1567.

a) commemoras *in ms.* - *lapsus calami.*

1) *Vide nr. 53.* - *In ms.:* sesq. *abbrev.*

b) *actiderit in ms.* - *lap. cal.*

2) *Scil. Ericus XIV.*



*Petricoviae [Piotrków], 10 Iunii 1567.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
quaerit, ut naves per speculatores maris captas et per praefectum Gottlandiae ereptas restitui iubeat; ut navigationem in terram hostilem prohibeat, neque navigatoribus litteras passus tribuat.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico II<sup>o</sup> eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri, affini et foederato nostro charissimo salutem ac prosperos rerum omnium successus.

Serenissime princeps, domine, frater, affinis et foederate noster charissime.

Allatum ad nos est certis nuncijs, naves aliquot peregrinas, cum ex terra hostili redirent et in salo navigarent, per speculatores nostros, quos ei rei praefecimus, captas et in potestatem nostram redactas fuisse. Postquam autem ad hunc modum in potestate nostra et nostrorum existerent ac Gotlandiam forte praeterirent, iterum a Gotlandiae praefecto speculatoribus nostris ereptas fuisse hactenusque ab ipsis detineri, magna cum speculatorum quidem ipsorum nostrorum iniuria, nostra autem indignitate et mutuae confoederationis nostrae infamia nonnulla.

Qua de re, quoniam Serenitatem Vestram prorsus ignorare nobis quidem persuademus, idcirco ad illam diligenter de eo scribimus ab illaque etiam atque etiam petimus, ut eas naves nostris restitui Serenitas Vestra iubeat, deincepsque adeo severe edicat, ne quis sit subditorum Serenitatis Vestrae in posterum, qui captis per speculatores nostros navibus manus injicere ausit, quando quidem nos quoque ipsi manus speculatorum nostrorum ab omni illa praeda diligenter avertimus, quae propria est speculatorum Serenitatis Vestrae. Equidem, id quod a Serenitate Vestra postulamus, non solum confoederationis nostrae ratio requirit, sed etiam nostra perpetua quaedam et constans erga Serenitatem Vestram et subditos ipsius voluntas, quae quidem eiusmodi est, ut nihil a nobis unquam profectum sit hactenus, quod non summam nostram erga Serenitatem Vestram et omnes in universum subditos ac ministros ipsius benevolentiam redolere videatur.

Itaque vicissim aequissimum esse arbitramur, primum idem illud, quod toties a Serenitate Vestra petijmus, ne quas Serenitas Vestra naves in hostilem terram navigare permittat, neve ijs litteras passus, ut vocant, tribuat. Alterum, ut earum navium, quae in hostilem regionem navigant, praedam per speculatores nostros captam, liberam ipsis relinquat eamque

adeo quae nunc intercepta per speculatores Serenitatis Vestrae est, restitui iubeat. Tertium, ut in posterum subditos et ministros suos in eadem, quam ipsa erga nos prae se fert, benevolentia et officio retineat, neque ea, quae iure belli in potestatem nostrorum devenerunt, intercipi per suos et a nostris averti patiatur. Erit id, ut dicimus, et confoederationi ipsi et vero mutuae nostrae benevolentiae mirifice consentaneum. Quod ipsum Serenitatem Vestram non gravate esse facturam nobis persuademus. Bene valere Serenitatem Vestram cupimus.

Datum Petricoviae, die X Junij, anno Domini M. D. LXVII, regni vero nostri XXXVIII<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico II<sup>o</sup> dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburgk et Delmenhorst, fratri, affini et foederato nostro charissimo.

*Alia manu:* freibeuter als undter Gotelandt genommen belangendt. A[nno] 67.

N. 57

*Ravae [Rawa], 17 Iunii 1567.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
significat, se captivum ducem Megapolensem Christophorum sub certis  
conditionibus liberaturum; de rumore conventus inter commissarios  
Danicos et Suedicos*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico II<sup>o</sup> eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenchorst, amico fratri et foederato nostro charissimo salutem et fraterni amoris ac omnis foelicitatis continuum incrementum.

Serenissime princeps, domine, amice, frater et foederate noster charissime.

Significaveramus antea Serenitati Vestrae, illustrem principem, dominum Christoferum ducem Megapolensem, qui cum rege Sueciae <sup>1)</sup> adversus nos coierat, in potestatem nostram ante aliquot annos pervenisse, in qua quidem hactenus extitit, tentus a nobis sub honesta et liberali custodia, uti et nobis ipsis et familia ipsius, quae nobiscum arctis necessitudinum vinculis est coniuncta, dignum esse arbitrati sumus. Etsi autem nunquam ab eo abhorruimus, quominus is iampridem liber esse posset, dummodo nobis hoc nomine ab ipso satisfaceret, tamen eiusmodi erant hactenus tempora, ut ex potestate nostra dimitti nequaquam potuerit.

Nunc, cum Caesarea Maiestas <sup>2)</sup>, frater et consanguineus noster charissimus et honorandissimus, post multas alias in eodem genere ad nos scriptas litteras admodum ad nos de eo diligenter scripsisset a nobisque postulasset, ut eius captivitatis ipsius finem tandem aliquem faceremus, cum errorum suorum poenas satis iam dependerit, nos, quandoquidem dux ipse et deliquisse se et ab amicis ac propinquis omnibus desertum esse, fateretur, solamque gratiam et benevolentiam nostram per plerosque senatores nostros imploraret, memores et humanitatis communis et benignitatis propriae nostrae et precum ipsius et intercessionis denique Caesareae Maiestatis, cui pro mutua coniunctione negare nec possumus quicquam, nec solemus, permoti sumus, ut de dimittendo eo et in libertatem certis conditionibus restituendo cogitationem susceperimus. De quo volumus Serenitatem ipsam Vestram facere certiolem.

Illud Serenitati Vestrae confirmantes, nos, dum rebus nostris regnique nostri in liberando eo consulimus, memoriam Serenitatis Vestrae regnique ipsius deposituros non esse, sed diligenter provisuros esse, ut regno quoque et ditionibus Serenitatis Vestrae satis ab ea parte cautum esse videatur. Postulamus autem et hortamur, pro iure communium foederum, Serenitatem Vestram, ut ipsa quoque in eiusdem modi tractatibus nostri regnique nostri memoriam ne deponat, quaeque ad rationem eius belli Suedici pertinent, ea nobiscum, prout ferunt tempora, ita communicet.

Nuper enim quoque allatum ad nos erat, conventum communi pacificationi indictum fuisse Stralsundij, Vestraeque Serenitatis et Suecicos commissarios fuisse ad eam rem designatos. In quo mirati sane ab initio sumus, earum rerum nihil ad nos a Serenitate Vestra allatum fuisse. Sed postea ex eadem illa Caesarea Maiestate, quae ad nos de eo conventu perscripserat, intelleximus, ex certis causis conventum illum coire non potuisse.

Bene valere Serenitatem Vestram cupimus.

Datum Ravae, die XVII Junij, anno Domini M.D.LXVII<sup>0</sup>, regni vero nostri XXXVIII<sup>0</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico II<sup>0</sup> Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae et Ditmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, amico, fratri et foederato nostro charissimo.

*Alia manu: Ducis Christophori dimissionem concernentes.*  
Productae Haffniae, VI<sup>o</sup> Augusti LXVII<sup>o</sup>.

1) Scil. *Erico XIV.*

2) Scil. *Maximilianus II.*

N. 58

*Knyszyni [Knyszyn], 4 Iulii 1567.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
rogat ut Nicolao von der Linde naves in Sund pignorate restituantur.*  
(*Orig., sig.*)

*T.K.U.A. Polen. A.I.I.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, amico, fratri et foederato nostro charissimo salutem et fraterni amoris ac omnis foelicitatis continuum incrementum.

Serenissime princeps, amice, frater et foederate noster charissime.

Expositum est nobis proxime nomine spectabilis et famati Nicolai von der Linde proconsulis civitatis nostrae Thorunensis, ipsi fratrisque sui filijs, qui sunt eiusdem negociationis socij, pigneras esse naves duas cum mercibus per magistratum Serenitatis Vestrae in ipsis faucibus Sundicis ad instantiam cuiusdam Nicolai Nilson, civis Hafniensis, Serenitatis Vestrae subditi, qui sibi per speculatores maris nostros navem quandam praeter ius temere ereptam et quantumvis ab ijsdem repetitam, hactenus tamen negatam fuisse, queri dicitur.

Quod, si ita est, nos quidem, qua de Serenitatis Vestrae aequitate et erga nos benevolentia sumus opinione, arbitramur, factum hoc magistratus Orisundensis non probari Serenitati Vestrae quod cum ad nos de denegata iustitia a commissarijs nostris, ad quos eius causae cognitionem remiseramus, nihil hactenus relatum fuerit, ipse magistratus Serenitatis Vestrae praeceps ad pignerationem bonorum subditorum nostrorum descenderit, contra non modo rationem foederum ipsorum ac pactorum nostrorum communium, sed etiam contra leges ipsas communes, quae pignerationem extremam negatae, nec administratae iustitiae remedium esse, eiusque usum non inter amicos et foederatos principes, sed inter hostes duntaxat, aut certe inter exacerbatorum invicem animorum homines vigere voluerunt.

Id, quod etiam hoc nobis videtur accidisse indignius, quod compertum habeamus, et navem quidem unam iudicio commissariorum nostrorum ipsum recuperavisse et quod alteram non recuperaverit, non per commissarios nostros, sed per plenipotentem ipsius stetisse, qui porro eam iure persequi noluerit.

A Serenitate igitur Vestra magnopere postulamus, ut nunc quidem naves has duas subditorum nostrorum Nicolai von der Linde et fratris filiorum, quae cum mercibus pigneratae sunt, quamprimum restitui iubeat, deinceps, autem, ne patiat extremum hoc iuris persequendi remedium, primum a magistratu suo adversus subditos nostros usurpari, qui sumus Serenitati Vestrae pacto et foedere colligati. Nos enim, uti adhuc fecimus, ita deinceps facere prompti ac parati sumus, ut subditi Serenitati Vestrae, quicumque sunt, facile sine negotio ius suum apud nos consequantur. Atque adeo hic iste Nicolaus Nilson, si quid adversus speculatores maris nostros iuris habere se praetendit, si legitime id in iudicio nostro prosequutus fuerit (quod eum quamprimum facere vellemus), cognoscit nos profecto et ad ius sibi reddendum pronos et proclives et memores praeterea eius amicitiae, quae nobis cum Serenitate Vestra mutua, nec ingrata, intercedit. Confidimus has nostras literas suum apud Serenitatem Vestram pondus esse habituras. Quam bene valere cupimus.

Datae Knyszyni, die quarta Julij, anno Domini M. D. LXVIII, regni nostri XXXVIII<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, amico, fratri et foederato nostro charissimo.

*Alia manu:* Pro Nicolao Von der Linden.  
Productae Haffniae, VI<sup>o</sup> Augusti LXVII<sup>o</sup>.

+ *Litteris his adiuncta est cartula scripta eadem manu:*

Quoniam memorato Nicolao von der Linde eiusque nepotibus negotium quoque exhiberi in teloneo Orissundensi cognovimus, eo quod non parum cum subditis nostris Gedanensibus iure censeatur, adducti illius supplicatione et fide ac probitate, quam et nobis et civitati nostrae Torunensi non contemnendam hactenus probavit, non possumus, non interposita pro eo postulatione nostra a Serenitate Vestra requirere, uti eum cum nepotibus eadem cum Gedanensibus immunitatis libertate posthac perfrui sinat. Factura Serenitas Vestra rem nobis et gratam et pari benevolentia rependendam.

*Supra textum alia manu:* Den 4/VII 1567.

*In ordine archivistico sequitur hic versio Germanica literarum N. 56.*

*Superscriptum:* Literae Regis Poloniae verdeutscht.

*Radoszkowicze, 15 Decembris 1567.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
quaerit, ne ducem Curlandiae Gotthardum Kettler, bello exhaustum, de  
debita pecunia urgat.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico II, eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesvitiae, Holsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorsth, fratri et foederato nostro charissimo salutem et mutui amoris continuum incrementum.

Serenissime princeps et domine, amice et frater ac foederate charissime.

Etsi ex responso, quod nuper secretario Serenitatis Vestrae dedimus, inter caetera cognosci potest, et nos studiose cum illustri duce Curlandiae de mutuis viginti millibus talerorum egisse, de quibus ex legatione eiusdem secretarij intellexeramus, et Illustritatem ipsius, quominus Serenitati Vestrae satisfaciatur, alienam non esse, si modo hoc tempore facultate non destitueretur, tamen, ut hoc etiam magis Serenitas Vestra cognoscat, Illustritatem eius vehementer de solvenda hac pecuniae summa anxiam sollicitamque esse, postulavit Illustritas eius a nobis, ut, quod in responso nostro fecimus, idem quoque per literas nostras faceremus partesque nostras pro Illustritate eius apud Serenitatem Vestram interponeremus.

Itaque a Serenitate Vestra etiam atque etiam petimus, velit huic solutioni iustum aliquod spatium Illustritati eius concedere, dum vel bellum hoc defervescat, vel rationes Illustritatis eius, nunc quidem temporibus ipsis ac motibus istis bellicis adffictae, in meliore aliquo loco positae ac constitutae esse videantur, vel quousque tandem sine Serenitatis Vestrae incommodo ac molestia esse poterit. Nam hoc quidem tempore ita se Illustritas ipsius exhaustam esse queritur, quod sane nos etiam ipsi videmus, ut non solum solvendo aeri alieno non sufficiat, sed ut etiam vix satis habeat, quod conditioni suae sustentandae sufficere posse videatur. Dabit autem Illustritas ipsius operam, ut, si quod iustum et rationibus suis accomodatum spatium solutioni suae praefixum atque a Serenitate Vestra concessum habuerit, mutuam hanc pecuniam Serenitati Vestrae ad tempus constitutum repraesentet. Factura est nobis in eo Serenitas Vestra rem gratissimam. Quam diu bene valere cupimus.

Datum ex Radoszkowice, die XV mensis Decembris, anno Domini M. D. LXVII<sup>o</sup>, regni nostri XXXVIII<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico II Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesvitiae, Holsa-

tiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorsth, amico et fratri ac foederato nostro charissimo.

*Alia manu:* Hafniae, 5 Aprilis <sup>a)</sup>, anno LXVIII<sup>o</sup>.

*Item altera manu:* 1567. 15 Decembris.

a) *In ms. Martii - deletum.*

N. 60

*Kojdanów, 9 Ianuarii 1568.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
postulat, ut navigationem Narvicam prohibeat, ne potentia Moscoviae  
augeatur.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico II eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesvitiae, Holsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, amico, et fratri ac foederato nostro charissimo salutem et mutui amoris omnisque foelicitatis continuum incrementum.

Serenissime princeps, domine, amice, frater et foederate noster charissime.

Ut intelligat Serenitas Vestra, quanta nobis curae sit Narvica ista navigatio, de qua prohibenda Serenitatem Vestram admonere nunquam destitimus. Nunc etiam iterum atque iterum de ea Serenitatem Vestram admonemus, postulans, velit tamen et nostrarum et Livoniensium et communium totius Christianitatis rerum rationem habere, ut ne permittat et nostrum et Livoniorum, et omnium Christianarum ac politarum nationum hostem Moscum accessione earum rerum potentiolem fieri, quibus, stante libertate navigationis istius, opportunissime instruitur.

Qua in re, quantum momenti insit, etsi saepe multis verbis ad Serenitatem Vestram perscripsimus, tamen, si Serenitas Vestra hoc tempore non intelligit, aut si adeo fidem nobis non habet, verendum profecto atque adeo timendum est, ne paulo post magna cum sua et multorum aliorum iactura experiatur et cognoscat. Quod nos quidem, pro nostra cum Serenitate Vestra coniunction atque amicitia, procul ab illa dominijsque illius, pro nostra autem erga Christianitatem benevolentia, procul ab omni Christianarum gentium dititione abesse inprimis cuperemus. Qua de re Serenitatem Vestram iterum atque iterum facimus certiolem. Quam bene valere cupimus.

Datum ex Koidanow, die IX mensis Januarij, anno Domini M. D. LXVIII, regni nostri XXXVIII<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesvitiae, Holsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, amico et fratri et foederato nostro charissimo.

*Alia manu:* Roschildiae <sup>a)</sup>, productae <sup>b)</sup> die 25 Maii, anno [15]68.

a) *Sequitur verbum illegibile*

b) *Lectio incerta - praesentatae?*

N. 61

*Knissini [Knyszyn], 15 Februarii 1568.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
iterum quaerit, ut duas naves spectantes ad Nicolaum von der Linde, civem  
Thorunensem libere dimitti iubeat.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Sleszviciae, Holsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburgk et Delmenhorst, amico, fratri et foederato nostro carissimo salutem ac fraterni amoris continuum incrementum.

Serenissime princeps, frater et foederate noster carissime.

Dedimus non ita pridem, mense Julio proxime praeterito, litteras nostras ad Serenitatem Vestram, quibus amanter a Serenitate Vestra postulavimus, ut naves duas cum mercibus spectabilis Nicolai von der Linde, proconsulis civitatis nostrae Torunensis, in ipsis faucibus Sundicis ad instantiam cuiusdam Nicolai Nilson, civis Hafniensis, cui subditus noster nihil omnino debet ac ne novit quidem hominem, per magistratum Serenitatis Vestrae pigneratas libere dimitti ac a nobis ius de subdito nostro postulari iubeat.

Queritur autem iterum proconsul noster Thorunensis una cum nepotibus suis, qui sunt eiusdem negotiationis socij, naves has suas cum mercibus nihilominus adhuc a magistratu Serenitatis Vestrae detineri cum maximo suo nepotumque suorum detrimento. Ac existimamus nos sane causam hanc nondum integre ad Serenitatem Vestram esse perlatam, nam persuadere nobis non possumus, Serenitatem Vestram eiusmodi pignerationem fuisse admissuram, quae non solum foederibus nostris, tam antiquis, quam



nuper pactis, sed ipsi etiam communi iuri et bonae vicinitali, quam inviolatam semper conservavimus, plane est contraria, praesertim vero cum iste Nicolaus Nilson iudicio commissariorum nostrorum ad intercessionem Serenitatis Vestrae iam dudum navem unam ex duabus, quae ei ex Suecia iter facienti a speculatoribus nostris fuerant interceptae, recuperaverit et quod alteram non assecutus fuerit, per neminem alium, quam per plenipotentem ipsius steterit.

Iccirco, cum res haec, ut facile Serenitas Vestra ipsa iudicare potest, mali sit exempli, iterum a Serenitate Vestra cupimus, ut naves has cum mercibus subdito nostro primo quoque tempore liberas dimitti iubeat. Civi autem Hafnensi imperet, ut, si quid contra subditos nostros tentandum sibi esse videtur, iure et in foro eorum competenti iuxta veterem consuetudinem agat, ubi ius ei sine mora reddetur, ac debita iustitia administrabitur. Factura Serenitas Vestra rem nobis inprimis gratam et foederibus mutuis amicitiaeque nostra dignam. Cupimus autem Serenitatem Vestram bene foeliciterque valere.

Datum Knissini, die XV mensis Februarij, anno Domini M D LXVIII, regni vero nostri anno trigesimo octavo.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Principi domino Friderico secundo Dei gratia Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci [Ho]lsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Delmenhorst, amico, fratri et foederato nostro carissimo.

*Alia manu:* Serenissimae R. Poloniae Matris intercessoriae pro Nicolao von der Linden, ipsius duas naves cum onere ipsarum concernentes a Nicolao Nicolai cive Hafniensi in statione Regia pignoras.  
Productae Roschildiae, 14. Octobris anno 1568.

N. 62

*Varsaviae, 22 Septembris 1568.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de Ioanne, duce Finlandiae, qui regni Sueciae potitus est; rogat, ut certum tempus ad inducias concedat et ducem Magnum ad servandam pacem admoneat; significat se duci Ioanni auxilia contra Ericum XIV misisse.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.I. +*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo, eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae

ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, amico, fratri et foederato nostro charissimo salutem et fraterni amoris ac omnis felicitatis continuum incrementum.

Serenissime princeps, domine, amice, frater et foederate noster charissime.

Quandoquidem Deo Opt. Max., cuius providentia cuncta gubernantur, ita visum est, ut illustrissimus princeps, dominus Joannes Finlandiae dux, affinis noster charissimus, rerum hoc tempore in Suecia propemodum potiat, consiliarijs et nobilitate regni illius approbante, etsi iam iam missuri sumus ad Serenitatem Vestram nuncios nostros, quibus mandata cum de his, tum de alijs rebus communibus nostris prolixiora dabimus, ne quid tamen accidat interea, quod rebus communibus nostris impedimentum ullum afferat ex eo, quod nos quidem in pactis nostris cum Serenitate Vestra communibus, illustrem principem, dominum Joannem Finlandiae ducem ex parte nostra inter foederatos nostros retulimus, meminimus autem quoque, inter Serenitatem Vestram et Illustritatem ipsius nonnihil controversiae intercedere, faciendum nobis esse existimavimus, ut sine mora de ea re ad Serenitatem Vestram perscriberemus.

Itaque postulamus a Serenitate Vestra, ut dum nuncij nostri ad Serenitatem Vestram adveniunt, quibus totius eius rei componendae et constituendae facultas a nobis dabitur, efficiat Serenitas Vestra, ut, si forte illi minus integrum est, propter ullas certas, quanquam nobis non satis notas, causas pacem et amicitiam cum illustrissimo domino praedicto affine nostro, tam repente colere, nisi rebus omnibus antea utrinque constitutis, illud saltem perficiat, ut certum aliquod induciarum tempus concedat, quo quidem tempore et arma utrinque suspendi et pacificatio eiusmodi inter Serenitatem Vestram et Illustritatem ipsius populosque Illustritatis ipsius commodius tractari possit.

Inprimis autem, mandet Serenitas Vestra illustrissimo principi, domino duci Magno, fratri suo et caeteris, quos in Osilia rei gerendae praefectos habet, ne quid adversus praedictum illustrissimum dominum, affinem nostrum, Finlandiae ducem, Illustritatisque ipsius populos hostile committant, quo quidem et optata pax impediri et ratio foederis ac pactorum communium nostrorum, quibus illustrissimus dominus Joannes Finlandiae dux est comprahensus, offendi videretur. Nos autem scripsimus quoque ad illustrissimum ipsum dominum Joannem, affinem nostrum, ut se interea adversus Serenitatem Vestram ipsiusque subditos ita gerat, ut et tranquillitatis publicae et nostrae cum Serenitate Vestra confoederationis digna ab Illustritate eius habita fuisse ratio videatur.

Illud restare videtur, ut Serenitas Vestra ante omnia, quod quidem ab illa petimus, litteras suas salviconductus oratoribus et commissarijs Illustritatis ipsius ad tractationem pacificationis venturis, tradi iam nunc iubeat, cum quibus nos recta istinc eidem cubiculario nostro, quem cum his nostris ad Serenitatem Vestram mittimus, ad Illustritatem ipsius e vestigio ire iussimus, ne quid videlicet, aut occasione ipsi, quae ad pacificationem eiusmodi videtur esse divinitus oblata, aut etiam amicitiae nostrae, quae nobis cum Serenitate Vestra et Illustritate ipsius intercedit, aut vero rationibus foederum et pactorum nostrorum communium, quorum sane servantissimi et esse et videri volumus, defuisse ulla ex parte videamur. Cui et ipsi cubiculario nostro, ut Serenitas Vestra de securitate itineris illius provideri eumque ab aliquo perito locorum ad fines Danicos deduci iubeat, magnopere a Serenitate Vestra postulamus.

Erunt haec omnia et nobis a Serenitate Vestra gratissima, et rebus

ipsis, tum nostris, tum Reipublicae Christianae communibus, quam accommodatissima.

Interea celare Serenitatem Vestram nolumus, misisse nos proxime Gedano ad praedictum illum dominum affinem nostrum nonnulla auxilia nostra, quibus se adversus communis hostis nostri, regis Sueciae, fratris sui tyrannidem tueri possit, salva tamen in omnibus ratione pactorum ac foederum communium nostrorum cum Serenitate Vestra. Caetera ex internuncijs nostris, quos iam iam mittimus, Serenitas Vestra cognoscet. Quam optime valere cupimus.

Datum Varsoviae, die XXII Septembris, anno Domini M D LXVIII<sup>o</sup>, regni nostri anno XXXIX<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, amico, fratri [et] foederato nostro charissimo.

*Alia manu:* S. R. Poloniae M-tatis literae hortatoriae ad pacem et inducias cum d[uc]e Johanne Finlandiae constituendas, salvum-conductum pro legatis concedendum.  
Productae Roschildiae, die 23 Octobris anno [15]68.

+ *Hic exstat versio Germanica earundem litterarum:* Polnisch verdolmetschtes schreiben - sine die.

N. 63

[*Friderichsburgi, 21 Ianuarii 1569*].

[*Fridericus II rex Daniae*],  
ad [*Sigismundum Augustum regem Poloniae*],  
de «*excubitoribus*» qui sub auspicio regis Poloniae navigationem in mari  
«*Sarmatico*» impediunt

(*Fragmentum exemplaris vel minutae*)

T.K.U.A. Polen. A.I.I.

... Varijs nostrorum hominum narrationibus ad nos delatum est, excubitores maris, qui Serenitatis Vestrae auspicijs ex Dantiscano et alijs Borussiae portibus progressi sunt in subditorum nostrorum bona et naves, nostro in salo, impressione facta, vim et iniuriam varijs modis exercuisse, eoque temeritatis et audaciae progressos, ut aestate proxima nec a proprijs navibus nostris, in portibus nostris stationem habentibus, sibi temperaverint, sed spreta autoritate et regia iurisdictione isthic nostra, cum in nostra, tum in aliorum navigatione mari Sarmatico utentium, bona pyratum prope in modum grassatos esse. Quae certe res, cum ad diminutionem regalis iuris nostri et perturbationem navigationis necessariorumque mercimoniorum pertinere videretur, non immerito nos commovit.

Etenim, cum ex veterum et recentium foederum formulis et soluti in statione nostra portorij nomine Christianorum regum aliorumque vicinorum subditis navigationem exercentibus securitas praestanda sit, nec committendum facile, ut iurisdictio nostra a temerarijs istis hominibus commodum privatum cum dispendio publico sectantibus, ullo pacto labefactetur, non potuerunt istae illorum actiones, quae, ni caveantur, non leve incommodum adferre possint, nobis non esse graves et molestae.

Minime autem volente, nec approbante Serenitate Vestra, cuius tamen ea auspicijs geruntur, sed suorum audacia, qui concessa armorum licentia abutantur, ea designari, certo, ut statuamus, facit, cum communis amicitia nostra et mutuorum foederum ratio, tum Serenitatis Vestrae ijs in colendis observandisque ac tuenda tranquillitate publica saepius declarata optima voluntas.

Quae, quamquam nos moverent ac rationes et media ostenderent ad speculatorum et accipitrum istorum tam nefarios conatus reprimendos cohercendosque, mutuae tamen nostrae regnorumque nostrorum coniunctioni et amicitiae, qua nihil nobis est antiquius, hoc tribuimus, ut Serenitatem Vestram potius de eo per literas certiore facendam, quam pro ipsorum merito ad alia remedia descendendum esse, existimaremus.

A Vestra igitur Serenitate, pro necessitudine nostra et mutuorum foederum ratione, maiorem in modum petimus, ut ea auctoritatem et officium suum accomodet et saevara constituta poena, mandet et provideat diligenter, ne excubitores isti vim aut iniuriam ullam in nostrorum subditorum naves et bona in posterum exerceant, sed ipsis et alijs liberam mari Sarmatico navigandi et mercimonia exercendi potestatem concedant et permittant, nec occasionem nobis deinceps praebeant at eas rationes ineundas, quibus iurisdictio nostra regia et utilitas publica, si ea ab ipsis labefactetur, in posterum hac in parte conservari possit.

Erit hoc Serenitatis Vestrae officium ad moderandas perturbationes communes valde tempestivum et foederibus nostris admodum consentaneum. Eandem ipsi in gratificando promptitudinem ac colenda augendaque mutua amicitia nostra sollicitudinem quavis occasione demonstraturi.

*In dorso: Ad Regem Poloniae sub dato Frid[richsburgi] 21 Januarij anno [15]69.*

N. 64

*Lublina, 15 Martii 1569.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
respondet de capto per speculatores maris oratore et navi, se speculatores  
maris ad prohibendam navigationem Narvicam instituisse et eos a  
iurisditione Gedanensium exemisse; quaerit, ne illis, ut culpa vacuis,  
aliqua iniuria inferatur.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.I.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaequae etc. dominus et haeres. Sere-

nissimo principi, domino Friderico II eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum Gottorumque regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldemburg et Delmenhorst, amico, fratri et foederato nostro charissimo salutem et mutui amoris ac omnis felicitatis continuum incrementum.

Serenissime princeps, domine, amice, frater et foederate charissime.

Intelleximus ex nonnullis consularijs nostris, tum ex ipsis civitatis nostrae Gedanensis internuncijs consularibus, Serenitatem Vestram apud senatum Gedanensem conquestam esse et de oratore Serenitatis Vestrae a speculatoribus nostris capto et de navi onusta civium Hafniensium intercepta. Mirari autem satis non possumus, istius rei culpam in Gedanenses conferri, qui cum speculatoribus nostris nihil commune habeant, tantum abest, ut eorum opera ad principes vicinos infestandos uti velint. Speculatores enim nos ea potissimum ratione instituimus, ut navigationem Narvicam tam nostris, quam vicinorum principum dominijs periculosam, impedirent, ita vero instituimus, ut nullam in eos Gedanensibus iurisdictionem atque potestatem permitteremus.

Quam ob rem petimus maiorem in modum Serenitatem Vestram, ne ob eam rem Gedanensibus, hac culpa prorsus vacuis, damnum aut iniuriam aliquam inferat inferre per subditos suos permittat. Quod si erit aliquid, in quo speculatores nostri tam a Serenitate Vestra, quam a subditis illius iure ac merito accusari possint, in eo nos profiteamur tam Serenitati Vestrae, quam subditis illius, reiecta omni cunctatione, iustitiam administraturos et singularem in ea re Serenitatis Vestrae rationem habituros. Cuiusmodi Serenitatem Vestram bene ac feliciter valere.

Datum Lublini, XV Martij, anno Domini M. D. LXIX<sup>o</sup>, regni nostri XL<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico II, Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldemburg et Delmenhorst, amico et fratri ac foederato nostro charissimo.

*Alia manu:* de anno [15]69.

N. 65

Lublini, 30 Martii 1569.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
intercedit pro civibus Gedanensibus, qui maximas iniurias et damna a  
praefectis Danicis passii sunt.*

*(Orig., sig. vest.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.I.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Masowiae, Samogitiaequae etc. dominus et haeres. Sere-

nissimo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norwegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Halsatiae, Sturmariae et Dithmarsiae, comiti in Aldenburg et Deimenhorst, fratri et affini nostro charissimo salutem et mutui amoris continuum incrementum.

Serenissime princeps, frater et affinis noster charissime.

Graviter admodum conquesti sunt nobis cives nostri Gedanenses Leonardus Broker, Georgius Glashagen, Petrus Franke et Joannes Dallemer, eos maximis iniuriis et damnis a praefectis et subditis Serenitatis Vestrae affectos esse, prout de his latius Serenitas Vestra ex supplicatione eorum praesentibus inclusa cognoscet, supplicaveruntque nobis, ut partes nostras pro illis apud Serenitatem Vestram hac in re interponeremus. Quorum supplicationi nos benigne annuentes, amice a Serenitate Vestra postulamus, ut dictis subditis nostris de praefectis et subditis suis indilatam iusticiam administrare velit. Faciet Serenitas Vestra rem nobis gratissimam et ad conservandam mutuam inter nos amicitiam pertinentem. Quam bene faeliciterque diu valere exoptamus.

Datum Lublini, penultima die mensis Martii, anno Domini M. D.LXIX.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norwegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Halsatiae, Sturmariae et Dithmarsiae, comiti in Aldenburg et Delmenhorst, fratri et affini nostro charissimo.

*Alia manu:* 30 Martij 1569.

N. 66

Lublini, 5 Maii 1569.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
intercedit pro civibus Gedanensibus, quibus praefecti Danici naves cum mercibus ademerunt et in usum bellicum instruxerunt: quaerit, ut negotiatores istos pro damno illis illato compensari iubeat.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.I.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithvaniae, Russiae, Prussiae, Masowiae Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norwegiae, Vandalorum, Gottorumque regi, duci Slesviciae, Halsatiae, Stormantiae, Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri et affini nostro charissimo salutem et fraterni amoris continuum incrementum.

Serenissime princeps, frater et affinis charissime.

Iterum nobis misere conqueruntur cives nostri Gedanenses, famati Petrus Franke, Joannes Hussman, Joachimus Bromme eorumque consortes, maxima se a praefectis Serenitatis Vestrae iniuria et damno affici, dum na-

vem et merces ipsorum, quibus praeest Petrus Hayne, quaeque ipsis ultra undecim millia talerorum constant, ipsis invitis adimunt et ad bellicum usum instruunt, nullo quidem iusto et aequabili pacto cum ipsis praecio, prout ex supplicatione ipsorum his inserta Serenitas Vestra plenius cognoscet.

Id factum, siquidem privilegiis et libertatibus istius civitatis mutuis foederibus et iuribus tam divinis, quam humanis, contrarium sit, equidem persuadere nobis aliter non possumus, quam fieri id inscia Serenitate Vestra, amice itaque postulamus a Serenitate Vestra, ne subditos nostros tam inique gravari permittat, sed providere velit, ut pro nave et mercibus suis iustum praecium pro damno vero dato, interesse et impensis compensationem ex aequo et bono consequantur. Faciet in eo Serenitas Vestra rem nobis gratissimam, iuri convenientissimam et ad conservandam communium pactorum, foederum et amicitiae rationem vehementer pertinentem. Quod superest, diu, bene et faeliciter Serenitatem Vestram valere exoptamus.

Datum Lublini, quinta die mensis Maii, anno Domini M. D. LX nono, regni nostri anno XL.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico secundo, Dei gratia Daniae, Norwegiae, Vandalorum Gottorumque regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormantiae, Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri et affini nostro charissimo.

*Alia manu:* 5 Maij 1569.

N. 67

[*Gedani, ante diem 30 Martii 1569*].

*P. Francke et consortes cives Gedanenses, ad Sigismundum Augustum regem Poloniae, supplicant, ut eos contra oppressionem praefectorum in Sundo protegat et in recuperatione bonorum amissorum apud regem Daniae adiuvet.*

(*Exemplar*)

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Serenissime ac potentissime rex et domine, domine clementissime.

Post humilimam oblationem paratissimorum nostrorum servitiorum et omnis prosperitatis imprecationem, Sacram Regiam Maiestatem Vestram nos miseri subditi per omnia sacra supplices obtestamur et deprecamur, ut pro munere suo regio nobis, iniuste gravatis, clementer adesse et nos ab iniuria, qua praeter culpam nostram, contra omnia iura, tam naturalia, quam gentium et vicinitatis a praefectis serenissimi Danorum regis afficimur, tueri et vindicare dignetur. Est autem hic querelae nostrae status:

Navis nostra, cui praeest Petrus Heyne, quam nos cariosam quidem, non parvo tamen precio, emimus et maximis impensis reparavimus et

propemodum de novo aedificavimus et mercibus, non vetitis, victus que-  
rendi gratia ad loca amicorum, ut navigaret, impositis, autumno praeterito  
expedivimus, exemptis a praefectis serenissimi regis Daniae, iussu (ut ipsi  
aiunt) Maiestatis suae pro libitu suo, mercibus quibusdam, cum reliquis  
Sundij hactenus detenta est, cum maximo et irreparabili damno nostro,  
prout iam ante Sacrae Regiae Maiestati Vestrae supplicavimus, quae iti-  
dem pro liberanda ista nave apud serenissimum Danorum regem pro no-  
bis clementer intercessit.

Nunc vero ex dicto magistro navis intelligimus, reliquas quoque mer-  
ces omnes ablatas esse et pro libitu, nullo pacto precio, ad varia opera per  
praefectos rapi, distrahi et adhiberi. Navem quoque ipsam, sine consensu  
nostro, nobis adimi et ad bellicum usum parari, ita ut ad mercaturam  
amplius idonea esse non possit, aestimatione pro placito ipsorum facta  
tali, quae ne dimidium quidem iusti precij, vel eius, quanto nobis constat,  
aequare possit. Quid de damnis, interesse et impensis dicemus, quorum  
nullam habere rationem volunt? Neque de termino solutionis quidquam  
cavent! An non vis haec est talis, qualis ne apud Turcam quidem auditur?!  
Subditis alienis, imo ijs, qui de libertate navigationis per Sundium, tam  
belli, quam pacis tempore privilegiati sunt, navem et bona sua invitis  
adimere, precium, quod tam de iure divino, quam gentium, apud omnes  
homines aequabiliter observato utriusque consensu constitui debet, pro  
suo libitu constituere et venditori, volenti nolenti, indicere. Non tam iniquo  
Sacra Regia Maiestas Vestra (quamvis diutissimo iam et gravissimo adver-  
sus Moscum bello, per annos XIII continuos thesaurus eius maxime  
exhaustus sit) vel in subditos suos, nedum in homines peregrinos et alieno  
iuri subiectos usa est imperio, neque facile credere possumus, id fieri  
scitu et mandato serenissimi Danorum regis alioquin iusticiae, aequi bo-  
nique, amantissimi principis.

Cum itaque, Serenissime rex ac Domine, Domine clementissime, haec  
diutina detentio et postremo violenta ademptio navis et mercium nostrarum  
non modo sit contra vetera privilegia et pacta de libertate navigationis  
per Sundium, tam belli, quam pacis tempore per divos maiores serenissimi  
Danorum regis cum civitate Gedanensi initorum, contra item foedera et  
vicinitatis iura, sed et contra omnia iura, tam divina, quam humana,  
quibus re sua invitus privari unus quisque prohibetur, contra etiam na-  
turam contractus emptionis et venditionis, qui bonae fidei est et iuxta  
aequum et bonum, ex consensu utriusque, non unius partis, precium, ut  
constituatur, requirit, imo nos, maximo et irrecuperabili damno afficit  
adque interitum nostrum spectet.

Ideo Sacrae Regiae Maiestati Vestrae humilime supplicamus, ut in hac  
iustissima causa nostra nobis, subditis suis, inique et extra culpam nostram  
laborantibus, subvenire et apud serenissimum Danorum regem efficere di-  
gnetur, ut de navi ista cum omni apparatu et mercibus nostris, quae omnia  
ultra undecim millia thalerorum nobis constant, ex aequo et bono de precio  
iusto nobiscum conveniatur, idque nobis una cum damnis, interesse et  
impensis solvatur integre, neque pro libitu et placito suorum praefectorum  
contra iurium omnium dispositionem nos, prout ipsi tentarunt iam rebus  
nostris inviti privemur. Quod si Sacra Regia Maiestas Vestra (uti confidi-  
mus) impetrabit, efficiet rem Deo gratissimam, iustissimam et a nobis  
perpetuis servitijs humiliter promerendam.



Sacrae Regiae Maiestatis Vestrae

Humilimi subditi  
Petrus Francke  
Joannes Huessman  
Henricus Meyer  
Georgius Glashagen  
Joachimus Bromme  
Petrus Heyne suo et consortium  
nomine, omnes cives Gedanenses.

N. 68

Lublino, 10 Maii 1569.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de « excubitoribus maris » a se institutis, ut « navigationem Narvicam »  
prohibeant*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico II<sup>o</sup> eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldemburg et Delmenhorst, amico, fratri et foederato nostro charissimo salutem ac fraterni amoris et omnis foelicitatis continuum incrementum.

Serenissime princeps, domine, amice, frater et foederate noster charissime.

Mirari satis non possumus eam excubitorum nostrorum licentiam et vim ab eisdem hominibus Serenitatis Vestrae, quemadmodum scribit, illatam, prius ad cognitionem Serenitatis Vestrae, quam ad aures nostras pervenisse. Nam, cum caeterarum rerum, quae in regno ac ditione nostra geruntur, nihil fere nos latere possit, tum praecipue in eam curam incumbimus, ne quid ab excubitoribus nostris vicinis principibus vis atque iniuriae inferatur. Itaque, ne quid proterve aut inconsiderate ab ijs committatur, multo ante providimus. Commissarios enim nostros ijs ipsis praefecimus, quibus serio ac diligenter iniunximus, ut eos in officio continerent, neve fines mandatorum nostrorum egredi permitterent. Ac initio quidem ad excubitores maris instituendos, cum caeteris causis et rationibus, tum ea potissimum impulsi sumus, quod animadverteremus, quantum ex navigatione Narvica ditioni nostrae periculi, quantum vicinorum principum regnis atque provinciis immineret.

Quod periculum, cum praevidissemus antea, non dubitavimus de eo, non solum caeteros principes, sed ipsam Serenitatem Vestram certiolem reddere easque rationes perscribere, quae nos ad navigationem Narvicam impediendam compellerent. Sed cum hoc negotium tarde admodum ex parte reliquorum principum, ad quos ea de re perscriperamus, procedere animadverteremus, nullam commodiorem evitandi periculi rationem inire

potuimus, quam eam speculatorum sive excubitorum maris institutionem, per quam et omnes insultus ac impressiones hostium in ditiones nostras factae repelli et eorum conatus, qui contra voluntatem commodumque nostrum ac ditionum nostrarum Narvicam navigationem instituere vellent, reprimi possit.

Ut tamen mos geratur Serenitati Vestrae, mandavimus commissarijs nostris, quorum potestati speculatores subsunt, ut de ea re diligentissime inquirant iniuriasque subditorum Serenitatis Vestrae cognoscant, ac ijs, qui se iniuria affectos probaverint, sine ulla mora iustitiam debitam administrent. In posterum vero, ut diligenter provideant, ne qua ab excubitoribus nostris, non modo Serenitati Vestrae eiusque hominibus, sed etiam caeteris vicinis ac foederatis principibus ac eorum subditis vis atque iniuria afferatur <sup>a)</sup>. Cupimus bene ab foeliciter valere Serenitatem Vestram.

Datum Lublini, die X<sup>a</sup> Maij, anno Domini M<sup>o</sup> D LXIX<sup>o</sup>, regni vero nostri XL<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico II<sup>o</sup> Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesvitiae, Holsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorsth, amico, fratri et foederato charissimo.

*Alia manu:* Polnisch schreiben und erklärung der freybeutter gewaltsame handlung in der Sehe betreffendt, durch Paul Bott[er] <sup>b)</sup> uber[antwortt] <sup>c)</sup>.

Productum am tage Johannis Baptistae anno [15]69 <sup>1)</sup>.

a) aut - inferatur - lectio incerta.

1) Scil. 24 Iunii.

b) Lectio incerta - Botten?

c) Lectio incerta.

N. 69

Lublini, 23 Iunii 1569.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de renovandis studiis ad perficiendam pacem cum novo rege Sueciae,  
Ioanne; civitates Stralsundium aut Stettinum ad conventum pacificationis proponit; de Parnavia et de Rigensibus et de Narvica navigatione prohibenda.*

(Orig., sig.)

T.K.U.A. Polen. A.I.1.

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stor-

mariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburgk et Delmenhorst, amico, fratri et confederato nostro charissimo salutem et fraterni amoris incrementum.

Serenissime princeps, amice, frater et confederate noster charissime.

Redierunt ad nos oratores nostri, quos apud Serenitatem Vestram hoc tempore habuimus, qui et de studio Serenitatis Vestrae, quo nos Serenitas Vestra complectitur, et de iis, de quibus nomine nostro apud Serenitatem Vestram per eos actum est negociis, mentem Serenitatis Vestrae nobis aperuerunt. Et quantum quidem ad tam longum et accuratum Serenitatis Vestrae responsum oratoribus nostris datum per literas responderi potest, quoniam id res postulare videntur, non potest nobis non esse vehementer gratum, Serenitatem Vestram studium hoc nostrum tollendae eius controversiae, quae Serenitati Vestrae cum serenissimo affine nostro, Svetiae rege moderno <sup>1)</sup> intercedit, probare. In quo profecto, ut nos non minorem huius amicitiae et necessitudinis foederum, quae nobis cum Serenitate Vestra intercedunt, quam affinitatis cum serenissimo rege Svetiae rationem habere ostenderemus, prius adhuc, quam affinem nostrum, Serenitatem Vestram ad amicitiam ineundam tollendasque controversias, tam per literas et internuncium, quam etiam denuo per oratores nostros hortati sumus, neque adhuc quenquam nostrum ab eo tempore cum mandatis nostris in Svetiam hucusque ablegavimus et ad reconciliationis quidem iacienda fundamenta, obtentisque induciis, etiam ipsam reconciliationem perficiendam oratores nostri a nobis ablegabantur. Quibus in itinere non sua culpa, sed mari congelato, id est autem legitimo impedimento, quemadmodum etiam Serenitas Vestra eosdem et ipsa excusatos habuit et apud nos excusavit, quo minus in Daniam trajicerent, impeditis, non solum tentata, verum etiam <sup>a</sup> propemodum conclusa ea cum serenissimo affine nostro transactio a Serenitate Vestra fuit. Quae, salvis nostris mutuis faederibus, num ullo pacto fieri potuerit, Serenitas Vestra apud se perpendere velit.

Meminit Serenitas Vestra, quam sit clara in hoc genere sententia pactorum, ut neutri nostrum cum Svetiae rege <sup>2)</sup> ad ulla conditiones pacis seu transactiones, inscio vel invito altero, descendere liceat. Cuius rei Serenitas Vestra, dum nomine nostro ab oratoribus nostris admoneretur et de novo commissariorum conventu in aliqua Germanicarum civitatum instituendo postularetur, in hoc assensum suum praebuit, ut novum conventum, sed non, nisi in finibus regni Daniae et Svetiae idque sub finem proximi mensis Julii instituerit. Sperabamus quidem, Serenitatem Vestram, pro mutua nostra amicitia et praeclara nostrae optima erga se voluntatis et studii, curae atque sollicitudinis redintegrandae causa eius inter Serenitatem Vestram et serenissimum affinem nostrum amicitiae testificatione, Serenitatem Vestram, nostram etiam, non suam solius commoditatem loci et temporis eius designatione fuisse observaturam, sed quod expectationi nostrae hac in re a Serenitate Vestra non sit responsum, tam arduas causas considerare nondum possumus.

Iam nunc certe denuo Serenitati Vestrae operam et studium nostrum, ut iam tandem difficilis istius et longi belli finis esse possit, quo pacto commode deferre atque etiam accommodare possimus, non videmus, cum et locus is adeo dissitus et remotus sit a nobis et tempus adeo breve, ut neque oratores nostri ad id tempus tempestive adesse <sup>b)</sup>, neque nos propter longinquum terrarum intervallum intra illos tractatus de omnibus fieri certiores et deinde, quid facto opus sit, sententiam nostram explicare, neque etiam cum dignitate nostra, quam Serenitati Vestrae charam esse,

uti suam, non dubitamus, quidpiam ex parte nostra commode agi posse, videatur.

Quam ob rem, Serenitatem Vestram fraterne hortamur, ut Serenitas Vestra et tempus prorogare et locum in Pomeranicarum aliqua civitate, Stralsundio vel Stetino ad eam transactionem designare, induciasque, ad quam longissimum tempus (nam quae transactiones inter arma?) constituere velit et in eo singulare suum Christianis regnis et provinciis restituentae pacis studium, ad quam semper Serenitatem Vestram magis inclinatam intelleximus, non solum nobis, verum etiam reliquis omnibus Christianis regibus et principibus atque adeo universo orbi Christiano, iam re ipsa declaret et planam faciat. Nos vero ad eam pacificationem mutuam studium et operam nostram ita pollicemur, ut agnoscat Serenitas Vestra, nos non maiorem affinitatis, quam foederum rationem habuisse. Quod ipsum etiam nobis de Serenitate Vestra, ubi id usus postulaverit, constanter pollicemur. Si vero, quod non speramus, Serenitas Vestra huic tam pio ac Christiano instituto nostro nihil dare statuerit, Deum testem habebimus, per nos non stetisse, quominus haec tam gravia bella pace honesta, quae interdum etiam iniusta, melior est, quam iustissimum bellum, finirentur et componerentur.

Caeterum, quod ad arcem Pernaviam, quae Serenitati Vestrae ex foedere a nobis debetur, spectat, dederamus in mandatis oratoribus nostris, ut plenius nostro nomine cum Serenitate Vestra agerent, et quod nihil, nobis indignum vel a foederibus alienum, faciamus, si impensas, in eius arcis praesidium, postquam iam ante oblata, hoste expulso, Serenitati Vestrae a nobis ex foedere iuris, Serenitatis Vestrae facta fuisset, collatas, refundi nobis postulemus, Serenitati Vestrae uberius demonstraret. Quod si ea Serenitati Vestrae non satisfacerent, iniunxeramus iisdem, ut dicerent, nos mutuae concordiae et amoris tuendi causa adduci posse, ut idem negotium per commissarios communes, quorum sententiae ab utraque parte stetur, decideretur. Sed nec rationes ab illis propositae visae sunt tantum momenti Serenitati Vestrae, ut illis acquievisset, neque commissarios, per quos solos id negotium facile decidi posse, arbitramur, acceptasse visa est.

Nos quidem probe tenemus, quid foedera praescribant, quidque ex illarum praescripto Serenitati Vestrae debeamus, et mutui amoris causa etiam ultra foedera aliquid Serenitati Vestrae concedamus. Sed non videtur Serenitati Vestrae, dum summo iure nobiscum agit, esse curae, nos in eo, quod ex foedere non debuimus, indemnes reddere. Et quamvis de Serenitatis Vestrae ea de re, post oblatos iam a nobis commissarios, sententia, nobis non constet, tamen, cum non videamus, quo alio modo commune hoc negotium nostrum componi et finem suum sortiri possit, cuperemus, vel in commissariis Serenitatem Vestram acquiescere, vel aliquem alium modum a Serenitate Vestra proponi, ut iam tandem his inter nos disceptationibus semel finis esse possit.

De Rigensibus subditis nostris, Serenitatis Vestrae testimonium pergratum nobis fuit. Etsi autem rumores soli ad nos perferrentur, neque certi adhuc quicquam exploratum haberemus, eos quipiam a fide sua alienum moliri. Tamen, pro mutua nostra amicitia et benevolentia suspicionibus nullis laborandum, sed primo quoque tempore cum Serenitate Vestra de eo communicandum putavimus, non quod nobis integritas et in foederibus servandis fides et constantia Serenitatis Vestrae satis cognita non sit, sed tanto etiam liberius, quanto magis eam in Serenitate Vestra perspectam habemus, id a nobis factum est. Quos etiam cum commodo responso in praesentia oratorum nostrorum adhuc expeditos et repressaliis sublatis ad

nostram iurisdictionem remissos esse, gratissimum nobis accidit. Dabimus vicissim operam, ut in iure dicendo Serenitatis Vestrae subditis modo apud nos adsint, ex aequo et bono ita nos geramus, ut Serenitas Vestra intelligat, suam intercessionem apud nos multum ponderis habuisse.

De Narvica navigatione, de qua impedienda et per literas et internuncios aliquoties ac etiam nunc oratores nostros cum Serenitate Vestra egimus et quantum incommodi ex ea, non solum ad regnum et dominia nostra, verum etiam ad Serenitatis Vestrae et alia maritima regna et provincias, imo ad magnam orbis Christiani partem, nisi tempestive nascenti malo eatur obviam, perveniat, exposuimus et pacta, si quae Serenitati Vestrae cum Moscho intercederent, nulla nostra iniuria, damno aut periculo etiam secundum recentium foederum nostrorum praescriptum fieri debuissent, ostendimus, utque eam, tam subditis suis interdiceret, quam caeteros omnes ex aliis regnis navigantes in faucibus Sundicis iureiurando, ne sese illo conferrent, astringeret et non solum nostrum institutum ipsa remoraretur, verum etiam ad idem ab aliis principibus decernendum auctor et princeps esset, fraterne hortati sumus. Sed, ut nos navigationem ipsam perniciosam iudicamus, ita Serenitas Vestra illius prohibitionem periculosam sibi et suo regno fore existimat, pacta sua non solum cum Moscho, sed etiam cum omnibus maritimis principibus et civitatibus non tantum commemorat, verum etiam, ut speculatores maris nostri, qui per mare nostrum in Moschoviam commeantes reprimunt ac inhihent, ut a custodia a nobis sibi iniuncta abstineant, postulare. Quod si factum non fuerit, ad quaedam extrema iuris remedia se necessario cogi, innuere videtur.

Ad quae omnia Serenitati Vestrae ad hunc modum brevibus respondemus: Inprimis, nobis in mentem nunquam venisse, ut unquam cupiverimus, Serenitatis Vestrae pacta cum Christianis regibus et principibus constituta vel in minimo nostra causa offendi debere. Sed haec et fuit et est etiamnum sententia nostra, eos, quicumque tandem cum hoc barbaro hoste nostro amicitiam inierint et foedera aliqua constituerint, non recte Christianae Reipublicae consulere, sed gravi periculo atque perniciiei fenestram patefacere. Quod si perniciies suorum dominiorum, quam nos praevidemus et animo concepimus, alios non movet, cur nobis de securitate regno et dominiis nostris praestanda periculisque avertendis cogitare liberum esse in mari nostro non debeat, non videmus, ita, ut si praeter institutum nostrum cuiquam id audenti aliquid praeter opinionem acciderit, num bono iure ad extrema ista iuris remedia hoc nomine Serenitas Vestra descendere debeat, ipsa apud animum suum perpendet, et quia ea est Serenitatis Vestrae prudentia, non facile permittet, ne et nos inviti similibus remediis, quae nobis non desunt, uti cogamur, sed, uti nostra mutua amicitia et benevolentia dignum est, cuiusque subditi in suo iure relinquuntur et nostrorum subditorum bona hactenus ibidem detenta libera dimittantur.

Quod Serenitatem Vestram pro sua integritate et candore proque nostra singulari in ipsam benevolentia, cui semper multum tribuimus, in eam, hoc est optimam partem accepturam, quodque e re communi sit, diligenter et in tempore prospecturam esse, confidimus. Deus Serenitatem Vestram diu servet salvam, foelicem et incolumen.

Datum Lublini, die XXIII mensis Junii, anno Domini M<sup>o</sup> D<sup>o</sup> LXIX<sup>o</sup>, regni vero nostri anno XL<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorsth, amico, fratri et confoederato nostro charissimo.

*Alia manu:* Productae Haffniae XXV Julij anno [15]69.

a) etiam *bis in ms.*

1) *Scil. Ioanne III.*

b) *addesse in ms.*

2) *Scil. Ericus XIV.*

N. 70

Lublino 8 Augusti 1569.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
quaerit, ut speculatores maris a classe regis Daniae interceptos et Hafniam  
abductos compensatis damnis cum navibus et apparatu bellico liberos  
dimittat.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithwaniae, Russiae, Prussiae, Masowiae Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Halmatiae <sup>a)</sup>, Stormariae et Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorsth, amico, fratri et confoederato nostro charissimo salutem et fraterni amoris continuum incrementum.

Intelleximus ex fide digna relatione officialium nostrorum, classem navalem speculatores nostrorum maris, nihil quicquam hostile tanquam ab amicis et confoederatis sibi metuentem a classe Serenitatis Vestrae interceptam et Hafniam abductam esse. Quae vis, cum contra foederum mutuae amicitiae et pactorum rationes ab admiraldo, praefectis navium et capitaneis Serenitatis Vestrae admissa sit, et omnino inscia Serenitate Vestra, quam dignam foederum rationem habere nobis persuademus, factum esse credimus. Ideo postulamus ab Serenitate Vestra, ut ea, qua par est, severitate in eiusmodi temeratores et violatores mutui foederis nostri animadvertere, speculatores nostros una cum navibus, tormentis bellicis et aliis appertinentiis omnibus et singulis liberos dimittere et damna data cum expensis illis resarcire et restitui iubere velit. Faciet hoc maxime ad conservandas mutuas amicitiae, benevolentiae, pactorum et foederum rationes, in quibus nos hactenus firmiter perstitimus et adhuc perseveramus. Quod superest, Serenitatem Vostram diu foeliciter valere exoptamus.

Datum Lublino octava die Augusti, anno Domini M. D. LXIX, regni nostri anno XL.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norwegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorsth, amico, fratri et confoederato nostro charissimo.

*Alia manu:* Polonicae literae speculatores Polonicos interceptos a nostris concernentes.

Productae Helsingburgi XXVII Septembris anno [15]69.

a) *Sic in ms. - erratum - Holsatiae sive Holsatiae.*

N. 71

[*Hafniae, 5 Septembris 1569.*]

[*Fridericus II rex Daniae,*

[*Sigismundo Augusto regi Poloniae*]

*de « excubitoribus maris » regis Poloniae a sua classe captis; de navigatione Narvica, ab eodem rege prohibita.*

*(Fragmentum exemplaris vel minutae)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

... Cuius tractationis occasionem, progressum et rationes omnes, cum in proximo responso nostro Serenitatis Vestrae oratoribus dato uberius declaraverimus, supervacaneum et a literarum brevitate alienum existimavimus, ea hoc loco prolixè commemorare.

Ideoque, cum in eo capite, tum in alijs, in quibus et de Pernovia ex sententia foederum sine longiore procrastinatione aut nova communium commissariorum disceptatione nobis tradenda, et usu Narvicae navigationis <sup>a)</sup> alijsque negocijs nostris, summa cum aequitate et moderatione sententiam nostram et consilium exposuimus, in eo etiam adhuc acquiescimus, minime dubitantes, Serenitatem Vestram eam fraterne comprobaturam et expectationi nostrae demum satisfacturam...

De Serenitatis Vestrae excubitorum temeritate nimia coërcenda, qui ab ea concessa armorum licentia varijs modis abutuntur ac in nostrorum subditorum et sociorum Lubecensium naves et bona, quibus pro communi amicitia ac ipsis etiam mutuis foederibus nostris securitas praestanda erat, hostilem in modum grassantur, scripsimus antea ad Serenitatem Vestram et egimus ea de re nuper cum eiusdem oratoribus diligenter.

Horum nonnullos in portu hostili prope Revaliam ac in mari ab ammiralio nostro repertos, cum recognitionis nomine, pro more, ab ipso compellati, armis ac telis magis, quam oblata a nostris humanitate decertare maluissent, interceptos ac in stationem nostram adductos, quosdam etiam, qui nihil hostile in nostros designarunt, amice tractatos et dimissos esse, cognovimus. De quo Serenitatem Vestram certiore faciendam esse, operae praecium existimavimus, ut, si forte ab hominibus, qui gratia Serenitatis Vestrae freti, talibus aucupijs privatas facultates cum summo

dispendio publico accumulare non desinunt, ad ipsam querelae deferentur, haberet ipsa, quod de isto negotio certo statueret.

Daturi sumus operam, ut commissarij nostri, quibus talium causarum curam et cognitionem demandavimus, officio suo hac in parte recte fungantur et ius ex aequo et bono administrent, ne isti Serenitatis Vestrae speculatores de eo conquerendi iustam habeant occasionem. Ac ita plane, cum in his, tum in alijs negocijs omnibus nos comparaturi sumus, et Serenitas Vestra intelligat et re ipsa experiatur, nos mutuae amicitiae nostrae, pactorum, foederum et publicae utilitatis condignam rationem habuisse.

Post scripta.

Ex diplomate et mandato Serenitatis Vestrae apud excubitores istos reperto, edocti sumus, ipsis in omnes Narvam commeanes sine respectu iurisdictionis nostrae regiae, nostro in salo, Serenitatis Vestrae auspicijs, vim et direptionem concessam ac permissam. Qua immensa libertate confisi, sicut antea ad Serenitatem Vestram perscripsimus, ipsi stationes nostras infestare, propriarum navium oppugnationem attentare ac subditorum nostrorum bona diripere non sunt veriti.

Quae res, cum ob necessitudinem nostram et foederum mutuorum sententiam maturam emendationem requirere et non levia, ni tempestive caveatur, incommoda allatura videatur, a Serenitate Vestra fraterne petimus, ut illa, non solum talibus in literis Rhutenicae vecturae clausulam omittere, verumetiam sedulo providere et curare velit, ut isti speculatores portus et stationes omnes nostro in mari in posterum attingere et infestare penitus desistant, ne similibus remedijs ad rapacitatem et audaciam istorum hominum coerendam, quod certe inviti facimus, uti cogamur. In quo Serenitatis Vestrae fraternam declarationem cum hoc homine nostro etiam <sup>1)</sup> expectabimus...

*In dorso:* Extract. Ex Responsoria ad Regem Poloniae, sub dato Hafniae V. Septemb. Anno [15] 69.

a) *Verba Narvicae Navigationis maioribus literis scripta sunt.*      1) *Scilicet Auchario, cf. Nr. 73.*

N. 72

[*Ex castris ad Helmstadium, 7 Octobris 1569.*]

[*Fridericus II rex Daniae*  
*ad [Sigismundum Augustum regem Poloniae]*  
*de « speculatoribus maris » regis Poloniae a sua classe captis; deque « navigatione Narvica » a rege Poloniae prohibita.*

(*Exemplar. Fragmentum.*)

*T.K.U.A. Polen. A.I.I.*

... Serenitatis Vestrae sententiam et iudicium de speculatoribus quibusdam suis ab admiralio nostro, nuper in portu Revaliensi interceptis, et in stationem nostram deductis, ex ipsius literis, scriptis Lublini, VIII die proximi mensis Augusti, fraterne intelleximus.



De tota autem istius facti serie pro nostra in tuenda amicitia communi conservandisque mutuis foederibus nostris, summa sollicitudine Serenitatem Vestram non ita pridem per literas certiore fecimus et quod saepe petivimus antea, ipsius animadversionem in rapacitate et malitia istorum hominum coercedna, postulavimus. Ex quibus, dum reddentur, Serenitas Vestra amanter cognoscat, quod sancita inter nos foedera, quae liberum navigationis et mercimoniorum usum, tam nostris, quam confoederatorum subditis permittunt <sup>a)</sup>, eo in negotio praescribant, et quid variae et effrenatae speculatorum istorum ac pyratice propemodum actiones mereantur.

Has, quia Serenitati Vestrae ea in parte satisfacturas esse, omnino confidimus, ideo ulteriorem declarationem nostram eodem praesertim in negotio plane supervacaneam; hoc saltem operae praecium esse existimavimus, ut, cum in eo, tum in alijs negocijs communibus nostris, de quibus ijs in literis cum Serenitate Vestra egimus, ipsius certum et definitum <sup>b)</sup> responsum iam expectemus. Ex quo demum nobis constabit, quid ijs in rebus pro utilitate communi ac necessitudine nostra mutua nobis sit expectandum statuendumque. Nos certe in omnibus ijs ita plane nos comparaturi sumus, ut Serenitas Vestra intelligat et re ipsa experiatur, fraterna coniunctione nostra, mutua regnorum nostrorum necessitudine et pactis utrinque foederibus nihil nobis esse gratius aut antiquius.

*In dorso:* Copia Literarum Regiae M-tatis Daniae ad Poloniae Regem, sub dato Ex castris ad Helmstadium, anno [15]69. VII Octobris.

a) *Verba ab quae ad permittunt maioribus litteris scripta sunt.*

b) *In ms. sequitur verbum tempus - deletum.*

N. 73

*Knyssini [Knyszyn], 19 Octobris 1569.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de pacificatione inter reges Daniae et Sueciae; de traditione Parnaviae; de  
navigatione Narvica et captis speculatoribus maris; de legatione Georgii  
ab Eden.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Kyoviae, Volhyniae, Podlachiae Livoniaeque etc.

Sermo principi, domino Friderico secundo, Daniae, Norvegiae, Gothorum, Vandalorumque regi, duci Slesvici, Holsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburg ac Delmenhorst, affini, fratri et foederato nostro charissimo salutem atque omnis prosperitatis augmentum <sup>a)</sup>.

Redijt ad nos tandem cubicularius noster, iam inde in mense Junio ad Serenitatem Vestram a nobis ablegatus et ad literas nostras Serenitatis Vestrae responsum, Hafniae, V Septembris datum nobis retulit. Prius-

quam autem de ijs, in quibus negotiorum praesentium nostrorum cardo vertitur, ad Serenitatem Vestram perscribimus, praemittendum hoc putavimus, nos in expectatione eius cubicularij diutius, quam rerum ipsarum, de quibus inter nos ageretur, praegnans necessitas postulare, fuisse et cum infoelici quopiam casu in itinere suo detentum esse arbitraremur, ne mora haec rebus communibus nostris aliquid difficultatis pareret, expeditimus et alterum internuncium nostrum, venerabilem Georgium ab Eden, praepositum Succoviensem, qui et non remissi cubicularij et aliorum, quae interea temporis inciderunt, causas uberius cognosceret, et quae porro in progressu negotiorum nostrorum facta essent necessaria, nomine nostro Serenitati Vestrae exponeret, ut vel inde Serenitati Vestrae abunde constare possit, nobis nihil minus cordi esse, quam earum perturbationum inter Serenitatem Vestram et serenissimum Svetiae regem, affinem nostrum <sup>1)</sup>, finem eoque, nescimus quibus irati numinis fati, prolatari.

Cum autem et cubicularius noster iam ad nos redierit et quae sit, tam de ea pacificatione inter Serenitates Vestras, quam de alijs rebus Serenitatis Vestrae sententia ex literis ipsius abunde perceperimus, nulla mora interposita, vicissim de omnibus ijs, de quibus Serenitas Vestra nobis respondit, Serenitatem Vestram per eum Serenitatis Vestrae, quem cubiculario nostro adiunxit, hominem certiolem reddendum putavimus.

Et ad pacificationem quidem istam inter Serenitatem Vestram et serenissimum Svetiae regem, affinem nostrum, quod attinet, non possumus ingenti non adfici dolore, nullas hucusque pati voluisse occasiones, ut composita iam et ad finem suum plene deducta pacificatione (quantum hactenus conati sumus) ingens nostrum pacis his regnis restituendae desiderium, tam Serenitati Vestrae, affini, fratri et foederato nostro charissimo et serenissimo Svetiae regi, quam reliquis omnibus Christianis principibus probare, et hoc etiam inter caetera nomine, benevolentiam omnium et gratitudinem mereri potuerimus. Bona tamen spe sumus, ea, quibus ut nulla nostra, ita etiam candide et fraterne interpraetamur, nulla Serenitatum Vestrarum culpa tanta prorogatio intercessit, si Deus clementissimus conatus nostros gratia sua prosequi voluerit, iam brevi expectatissimum et magnae Christiani orbis parti salutarem exitum esse habitura. Quo in conatu, ut voluntas et studium nostrum, non solum Serenitati Vestrae et illustrissimo principi, domino Augusto, duci Saxoniae atque Sacri Imperij archimarschalco ac electori, verumetiam multis alijs principibus abunde superiore tempore planum fuit, ita et deinceps nos, Deo bene iuvante, comparaturi <sup>b)</sup> sumus, ut nemini dextre iudicanti in hoc toto pacificationis negotio, ab officio Christiani et foederum pacisque amantissimi principis, vel in minimo discessisse videamur.

Nam, si cuiquam non satisfacit, quod vel Roskildiae praeterita hyeme, vel in proximo superiore conventu, in finibus regnorum Serenitatum Vestrarum a Serenitate Vestra designato, commissarii et oratores nostri abfuerint in eo, si quis remoto paulisper affectu considerare volet, quae propius in eo negotio animo et oculis versanda fuerint et ea, quae praecesserunt, aequiore animo feret, et in nobis studioque nostro nihil desiderabit. Mississe enim nos ad Serenitatem Vestram oratores ante elapsam hyemem, nemini dubium est, idque quanto citius fieri potuit, post praemissum cubicularium, qui, ubi fuerint, vel quid passi propter negatos maris traiectus fuerint, etiam ne de eo quidem verba profundenda sunt. Etiamsi autem traiecissent et non solum in tempore, sed etiam ante tempus advenissent, quia ad normam foederum nostrorum omnia ordienda et disponenda fue-

runt, non potuissent aliud rerum inicium facere, vel fundamenta aliqua iacere futurae pacificationis, nisi ad eum, quo orsi sunt modum.

Nimirum, quod ubi iam plene de animo Serenitatis Vestrae ad concordiam amicitiamque ineundam cum serenissimo Suecorum rege cognovissent, non prius illis ad aliquas pacis tractationes consentire, vel descendere licuerit, quam Serenitati Vestrae illam tractationem pacificationis inter Serenitates Vestras non in eo loco, ubi Serenitas Vestra decreverat, sed in Germania haberi debere, persuasissent, idque secundum foederum praescripta in quibus planum est, Serenitatem Vestram absque nobis cum Suecorum rege transactionem nullam, vel concordiam inire debere, utque utrinque Serenitatum Vestrarum inter se eadem et nostrae aequalitatis ratio ab utraque Serenitatum Vestrarum haberetur, ut siquidem de absoluta belli Svetici, tam in Dania, quamque Livonia compositione, ex parte nostra et Serenitatis Vestrae agendum esset, illud neque in ditionibus Serenitatum Vestrarum, neque in nostris, sed in provincia nemini nostrum subiecta disceptaretur, et si Deus etiam volet, concluderetur.

Iam cum Serenitas Vestra cum serenissimo Suetiae rege, priusquam oratores nostri venissent, nobis praetermissis, concordiam tentaverit et deinde, ubi venissent, licet per eos et foederum et aequalitatis foederibus praescriptae admonita esset, tamen nihilominus, veluti causam nostram deserens, in conventum in Germania consentire recusaverit, sed potius in finibus regnorum Serenitatum Vestrarum, uti ante, contra foedera et mentem nostram, illum designaverit, illique, dum nihil proficerent, ultra non progressi ad nos de omnibus retulerint. Apparet, non ex nobis tantae prorogationi profectam esse occasionem, sed ex ijs consilijs, quibus Serenitas Vestra magis, quam nostris fraternis et salutaribus, uti res ipsa ostendisset, admonitionibus movebatur.

Tribuimus, nos Serenitati Vestrae tantum, ut et singularis illius in nos benevolentiae et communium negotiorum bonique publici caussa amplius non possimus, sed et Serenitas Vestra, nostro erga se amoris et studio, vel vinculorum eorum, quibus ea pacta conventa nos utrinque constrinxerunt caussa, tribuere aliquid debebat. Nam, quod ut ante responso oratoribus nostris dato, ita et nunc literis proximis permissum fuisse a nobis, immo et hortatam Serenitatem Vestram, tam per literas, quam internuncium nostrum ad concordiam faciendam ineundamque amicitiam cum serenissimo Suetiae rege, affine nostro a Serenitate Vestra ingeminatur. Meminimus nos, ut nihil magis optatum ea pacificatione Serenitatum Vestrarum habuisse, ita per eundem illum internuncium nostrum oratores nostros ad eam mittere pollicitos fuisse. Quam, si vel ad nos nihil pertinere arbitrati fuissemus, vel absque nobis transigi et componi de hoc toto Svetico bello inter Serenitates Vestras voluissemus, nunquam oratores nostros ad illum actum ad Serenitatem Vestram ablegavissemus, uti ablegavimus.

Unde liquet, quo modo non permissum tum Serenitati Vestrae, verum etiam ab illa petitum per nos fuerit, ut concordiam cum serenissimo Suetiae rege faceret, et id quidem tam planum est, ut de eo pluribus verbis disceptandum non sit. Nam, quod hoc necessitudinis vinculum attinet, quod nobis cum ipsius Serenitate propter affinitatem hanc intercedit: illius ratione <sup>c)</sup> tanta est nostra erga Serenitatem ipsius benevolentia, ut ad quodvis studij et amoris officium, quod nos deceat, illius caussa parati simus, eaque de causa eam in pactis et foederibus nostris mutuis pro amico excepimus, tantaque vicissim illius erga nos benevolentiae fiducia, ut de controversijs mutuis, per fratrem ipsius Ericum excitatis, facile inter nos componi posse, speremus.

Tamen, quoniam in regnum et controversiam fratris sui successit, ita agendum nobis putamus, ut donec de belli exitu transigeretur, id utrunque suo, ut par est, loco relinquamus. Credimus quidem, Serenitatem Vestram, ut pro sua prudentia et gravi consiliariorum suorum consilio, quaecunque in hoc negotio cavenda fuerant, diligenter considerasse, ita et in ea transactione salvum ius nobis reliquisse. Sed cum manifesta sit pactorum sententia, non videtur, istam reservationem iuris, vel foederibus congruentem, vel eiusmodi esse, quae tantundem molestiae et periculi inter nos adferre, quantum iam compositum esset, deinceps brevis temporis successu non possit. Satius est itaque, quod priores istae transactiones non successerint, in quibus relictæ favillae, ingentes brevi omnibus partibus difficultates ac, ne dicamus, prioribus graviore excitare potuissent, ita ut nunquam certa pax et firma tranquillitas, non penitus sublatis dissidiorum causis, permansura fuisse videatur, ut Serenitas Vestra et dolorem et de serenissimo Suetiae rege querellas suas optimo iure mitigare potius, quam exaggerare debuerit, et sibi polliceri, Deum Serenitatum Vestrarum regnis tanto stabiliorem et diuturniorem pacem esse redditurum, quanto illa magis deliberatis consilijs cepta et firmioribus fundamentis nixa et superextracta fuerit.

Inde, etsi mirum nobis poterat videri, Serenitatem Vestram ad eundem illum conventum in finibus regnorum Serenitatum Vestrarum indictum, ad quem oratores nostros, nullo pacto commode ac tempestive a nobis ablegari posse significavimus, Serenitatem Vestram suos commissarios destinasse et novam concordiam tentavisse.

Tamen, huius missionis necessitate, in eam partem, quam vult Serenitas Vestra, accepta, gratissimum nobis fuit cognoscere, Serenitatem Vestram et consiliarios ipsius deinceps in consilio magnifici, itidem syncere nobis dilecti domini Caroli Danzēi <sup>2)</sup>, Christianissimi Gallorum regis apud Serenitatem Vestram legati, quod quidem a postulatione nostra non esset peregrinum, nimirum, ut ad XIII Novembris diem, Rostochium, communes commissarii mitterentur, acquievissent. Quem in locum serenissimum Suetiae regem, affinem nostrum, suos commissarios esse missurum, non dubitamus, cum de nostris ad Serenitatem Vestram postulatis et per literas et per oratores nostros, quos illic habemus abunde illi planum fecerimus, et deinde, quid ad pacem plene restituendam facto opus esse censeremus exposuerimus, quemadmodum et nos in ea sententia sumus et omnino decrevimus, nulla interposita mora, ad locum constitutum etiam commissarios nostros ablegare. Etsi breve admodum tempus sit, ut nobis omnino videatur, etiam si propemodum vestigia Serenitatis Vestrae servitoris sequi voluerint, vix ante finem Novembris in loco esse futuros, tamen illis mandavimus, ut quantum fieri possit, ita accelerarent, ut ne multum ultra praestitutam diem immorarent. Quod si forte impediti, usque sub finem eiusdem mensis adventum suum protulerint, Serenitas Vestra ne tulerit gravius, si diebus aliquot ipsius commissarii nostrorum adventum anticipaverint.

Nos vero dabimus operam, ut in hac intercessione nostra, qua fungimur, inter Serenitates Vestras, quod saepe a nobis repetitum est, non minorem foederem cum Serenitate Vestra sancitor, quam necessitudinis nostrae cum serenissimo Suecorum rege rationem habuisse iudicemur. Modo, ut et Serenitas Vestra ipsa, ut hactenus, magna sua laude se ex animo pacis restituendae studiosissimum re ipsa declaravit, in posterum etiam, pendente ista pacificatione, ad diversa consilia, quae conatus nostros et aliorum principum componendi huius belli inficere possint, sese abduci ne patiantur. Non obscure enim, Serenitas Vestra offensionem quandam prae se fert,

cum ad pacem armorum subsidio quaerendam propendere videtur, nos vero, qui his calamitosis bellis semel aliquem finem esse, et nostram etiam in ea re una cum alijs principibus operam non esse irritam, ex animo cupimus, hortamur Serenitatem Vestram fraterne, ut si aliquorum sint a nostro instituto diversa consilia, ipsa pro sua prudentia ad moderationem revocare et ab impedimentis concordiae perniciosis animum suum pro pietate sua, digna Christiano rege, avertere velit. Cui nostrae piae et fraternalis admonitioni obtemperasse, Serenitatem Vestram nunquam poenitebit.

Non sumus etiam immemores, quid mutua nostra foedera de bello contra Suecum in Livonia gerendo a nobis requirant, ad quod restaurandum, cum nos Serenitas Vestra invitet, animi etiam nostri sententiam hac de re cognoscere cupit. Videt absque omni dubio Serenitas, Vestra, cum de pactis illis inter Serenitatem Vestram et nos conveniretur, aliam fuisse conditionem Sueticarum rerum et regis, atquam nunc sunt. Is enim, contra quem nos mutuo foedere coniunximus, regno sublatus et iam sui iuris esse desijt, ille vero, qui ut amicus in foedere comprahensus, apud fratrem hostem in vinculis et captivitate detinebatur, iam liberatus et fratri suffectus est. Negari quidem, ut a nemine potest, pacta illa non contra illum, sed magna ex parte pro illo esse inter nos facta et constituta, ita, cum fratri suo, hosti nostro communi, in regnum successerit, etiam onus gendi belli in se derivaturus videbatur, nisi continuo de pacificatione cogitasset. Quae, cum necdum confecta sit, neque diversum quicquam de eo statui adhuc possit, suspensis et in expectatione animis et in spe pacis resarciendae rebus, non videmus, quomodo vel hostilitatem de illo nobis polliceamur, vel a fratre excitatum bellum cum ipso redintegrare in animum inducere iure debeamus. Res itaque ipsae declarabunt, quid deinceps consilio aut facto fuerit opus, de quo Serenitatem Vestram fraterne admonebimus.

De Pernaviae traditione etiam in sententia, proximis literis nostris ad Serenitatem Vestram perscripta, acquiescimus.

De Narvica navigatione siquidem a Serenitate Vestra obtinere non potuimus, ut per stationes suas illam, communis periculi avertendi causa, impediret, postremis nostris literis Serenitati Vestrae testatum fecimus: siquidem alios suum periculum non movet, neque nostris admonitionibus acquiescitur, at licere nobis nostro in mari id facere, quod omnibus licet, ut videlicet commertia hostis nostri impediamus.

Quo magis mirum est nobis, speculatores nostros in mari nostro navigantes, ut et literae Serenitatis Vestrae testantur, a Serenitatis Vestrae classis praefecto, captos, et Hafniam abductos, detineri. Quod tanto magis miramur, quanto minus speravimus, ut ij, qui alijs generibus benevolentiae cum Serenitate Vestra certare semper in animo positum habuimus.

Qua de re supranominatus internuncius noster, venerabilis Georgius ab Eden, praepositus Succoviensis, uberiora nostra mandata apud Serenitatem Vestram, una cum rei, uti acta est, veritate, et quemadmodum ex ijs, quibus res ea planissime cognita est, intelleximus, exponet. Hortamur tamen iterum Serenitatem Vestram, ut eos speculatores nostros (qui tam Serenitati Vestrae a Suecis, quam nobis a Moschis usum sui praebent) una cum navibus libere dimitti mandare velit, et in eos, qui ad haec inauspicata incipia tentanda adeo audaces et temerarij fuerunt, serio animadvertat. In quo sane confidimus, Serenitatem Vestram fore memorem, quid mutuis nostris foederibus, quid amicitiae ac benevolentiae nostrae mutuae debeat, et omnino ita amicam et fraternam suam voluntatem, uti in literis suis pol-

licetur, re ipsa nobis esse declaraturam, ut et expectationi et dignitati nostrae, non mediocriter offensae, satisfieri possit. Licentiam eorum esse tantam, quantam ma[lev]oli nostri ad Serenitatem Vestram perferunt, non facile crediderit Serenitas Vestra. Nos enim illis facultatem ullam in mare et stationes Serenitatis Vestrae, de quo post scriptas literas, scheda literis imposita, Serenitas Vestra expostulat, a nobis concessam unquam esse volumus. Quod si quid eiusmodi certo de quoquam <sup>d)</sup> compertum fuerit, quod tam large abutendo facultate nostra stationes Serenitatis Vestrae infestare aut aliquo incommodo afficere ausus sit, iuxta commeritum iustas poenas dabit, utque in eo, ita in alijs, ita nos erga Serenitatem Vestram geremus, ut nullas non tantum confirmandae, sed etiam augendae amicitiae ac benevolentiae nostrae mutuae occasiones praetermississe videamur. Serenitatem Vestram diutissime salvam foelicem et incolumem esse desideramus.

Knyssyni, die XIX<sup>a</sup> Octobris M. D. LXIX<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, amico, fratri et confederato nostro charissimo.

*Alia manu:* Sereniss. Poloniae Rex respondet ad literas Regiae Daniae Maestatis de pacificatione, Excubitoribus, traditione Pernoviae, Navigatione Narvica et alijs rebus communibus scriptas. Redditae Hafniae ab Euchario Scheinio <sup>e)</sup> die 1 Decembris anno 1569.

a) *in margine alia manu* 9 Octobr. 1569

b) *com scriptum super lineam*

c) *lectio incerta*

d) *lectio incerta*

e) *lectio dubia* - Steinio?

1) Scil. Ioannem III

2) *recte:* Dançay

+ *Exstat versio Germanica, intitulata:* Das letzte Polnisch schreiben durch Aucharium eingebracht, verdolmetscht.

N. 74

Varsaviae, 19 Ianuarii 1570.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
rogat, ut sacerdotes ad Catharinam, Sueciae reginam et sororem suam,  
missos, causa procurandorum sacrorum, captos et in vinculis detentos,  
dimitti iubeat.*

(*Orig., sig.*)

T.K.U.A. Poln. A.I.1.

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae etc. dominus et haeres. Serenis-

simo principi, domino Friderico secundo eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, amico, fratri et foederato nostro charissimo salutem et fraterni amoris ac omnis foelicitatis continuum incrementum.

Serenissime princeps, amice, frater et foederate noster charissime.

Intelleximus non mediocri animi nostri molestia, sacerdotes, quos serenissimae Svetiae reginae, sorori nostrae charissimae non multo ante sacrorum procurandorum causa misimus, a speculatoribus Serenitatis Vestrae captos ac indigne tractatos ad hoc usque tempus in vinculis detineri. Quae res, cum et amicitiae nostrae mutuae et rationi pactorum ac foedus adversetur, postulamus a Serenitate Vestra maiorem in modum, ut sacerdotes praedictos, non tantum libere in Svetiam cum navi et rebus eorum omnibus dimitti iubeat, sed etiam, ne eisdem quidquam impedi- menti atque molestiae in posterum exhiberi permittat. Erit hoc nobis a Serenitate Vestra gratissimum et ad conservandam nostram mutuam amicitiam accommodatissimum. Quod reliquum est, Serenitati Vestrae opti- mam valetudinem ac prosperimos quosque successus a Deo Optimo Ma- ximo praecamur.

Datum, Varsaviae, die XIX<sup>a</sup> mensis Januarij, anno Domini M<sup>o</sup>. D<sup>o</sup>. LXX<sup>o</sup>, regni nostri anno XL<sup>a</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, amico fratri et foederato nostro charissimo.

*Alia manu:* Productae Hafniae, 9 Martii anno [15]70.

*Item altera manu:* 19 Januarij anno 1570.

N. 75

*Varsaviae, 20 Ianuarii 1570.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de pace regis Daniae cum rege Suetiae non conclusa; de sua mediatione;  
de rebus Livoniae; de ducis Magni cum principe Moscoviae machina-  
tionibus*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae etc. dominus et haeres. Serenis- simo principi, domino Friderico secundo eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburgk et Delmenhorst, amico, fratri et con-

foederato nostro charissimo salutem et fraterni amoris ac omnis foelicitatis continuum incrementum.

Serenissime princeps, frater, amice et foederate noster charissime.

Non possumus non graviter molesteque ferre, pacificationem inter Serenitatem Vestram ac serenissimum Swetiae regem, affinem nostrum, tantopere a nobis expetitam, non solum ad optatum finem exitumque perductam non esse, sed plane ad nihilum recidisse. Optabamus enim pro nostro in Christianam Rempublicam studio ac mutuo erga Serenitatem Vestram amore et necessitudine, quae nobis cum serenissimo Swecorum rege intercedit, ut hae dissensiones ac discordiae, indignae Christianis principibus, Serenitatibus ipsis Vestris detrimentosae, nobis etiam permolestae, aliquem aliquando tandem exitum sortirentur. Neque vero optabamus solum, sed omnes eo animi nostri nervos intendimus, ut aliquo tandem pacto res ad ocium et concordiam deduci posset.

Non commemorabimus superiores conatus nostros, quos nedum ex animo Serenitatis Vestrae excidisse arbitramur, neque enim ita sunt obscuri, ut testimonium vel commemorationem ullam desiderent. Hoc tempore, cum iam certa pacis ratio esset instituta, cum et serenissimus Sweciae rex pacem non indignis et tolerabilibus conditionibus amplexurus videretur, et christianissimi Galliarum regis apud Serenitatem Vestram orator, magnificus Carolus Danzeus de Serenitatis Vestrae singulari erga hanc ipsam pacificationem studio literis multoties ad nos scriptis spem nobis non dubiam fecisset, illustrissimus vero dominus Augustus, Saxoniae dux et Sacri Romani Imperij elector, Serenitatis Vestrae affinis, nos ad commissarios Rostochium eius pacificationis causa mittendos epistula in eam rem per diligentem scripta adhortaretur, seque suos commissarios ad hunc ipsum conventum missurum ostenderet, fecimus et quidem libenti animo, ut ad eam pacificationem constituendam et stabiliendam commissarios quoque nostros Rostochium ad XIII mensis Novembris magnis itineribus ablegarem, eisque de conciliandis animis Serenitatis Vestrae et serenissimi Swecorum regis tractandi plenam facultatem tribueremus.

Atque hi quidem nuncij et commissarij nostri, quemadmodum ad nos perscribunt, iam alterum mensem Rostochij manent. Cum tamen non solum nemo ex commissarijs caeterorum principum hactenus Rostochij sit visus, sed neque spes ulla sit quenquam ex illis affuturum, cum interea, quod non sine gravi animi molestia scribimus, plane sub ipsum tempus pacis exercitus utrinque conscribi, bellum redintegrari, pugnas concitari, arces, munitiones vi et armis oppugnari et intercipi nunciatur, gravius itaque opinione omnium istius rei exitum feremus, utpote quam non tantum Serenitatibus Vestris privatim, sed etiam publice Christiano orbi procedente tempore plurimum obfuturum perspicimus longeque optatius nobis accidisset, si nobis authoribus et consultoribus ab armis fuisset discessum, quam bello redintegrato, ea victoria, de qua nos certiores Serenitas Vestra reddidit, fuisset consecuta. Etsi enim pro amicitia et benevolentia nostra mutua, proque ratione pactorum ac foederum rebus secundis et ad voluntatem Serenitatis Vestrae fluentibus, laetari inprimis debemus et solemus, commodumque Serenitatis Vestrae nostrum esse commodum existimare, tamen, quoniam bellum hoc contra Christianos institutum et susceptum ita geratur, ut per id vicinus et Christianus princeps nobisque necessitudine atque affinitate coniunctus in ipsa spe pacis et tractatione infestetur, habet hic successus, de quo ad nos Serenitas Vestra scribit, cum summo periculo non mediocrem coniunctam molestiam.



Iniquum enim atque adeo miserum esse existimamus, Moscho <sup>1)</sup>, hoste perpetuo communique nostro, inspectante Christianorum regum exercitus et quidem eorum regum, quorum alterum nobis non tantum affinitas, sed etiam pacta et foedera inter nos sancita coniunxerunt, alterum arcissima affinitatis necessitudo colligavit, suis inter se odijs conteri, suis ipsorum viribus infringi et debilitari. Tum et illud verendum etiam est, ne hostis immanis et barbarus, si Serenitates Vestras conversis contra se armis concurrere et potentiam suorum regnorum in sua ipsorum viscera convertere animadverterit, singularem rei gerendae opportunitatem nactus, viribus Serenitatum Vestrarum fractis et debilitatis easdem magna vi et non opinantes aggrediatur et, quod Deus omen avertat, non satis ad resistendum paratos opprimat. Quae, cum ita se habeant, hortamur Serenitatem Vestram et ab ea pro nostra mutua et singulari benevolentia flagitamus, ut ab instituto desistat pacemque ac tranquillitatem communem suis vel iniurijs, si quas sibi illatas esse putat, vel commodis, si quae sperare debeat, anteponat. Regium enim est, mansuetudinem non iracundiam, oblivionem iniuriarum non vindictam, amicitiam non hostilitatem exercere, et non tam finium propagandorum, quam benevolentiae mutuae conservandae rationes tenere.

Quod si hoc tempore pax firma et perpetua ita utrinque animis exerbatis confici atque constitui non potest, tamen consultissimum esse arbitramur, ut Serenitas Vestra (id quod recte fieri, etiam si exercitus manus et ferrum contulerint, et solet et potest) inducias alicuius temporis concedat, ut eae controversiae, quae inter Serenitates Vestras sunt, si non iudicari at certe tantisper sustineri possint, quoad a nobis de nuncijs et commissarijs communibus harum controversiarum cognoscendarum terminandarumque causa denuo mittendis statuatur.

De qua re scripsimus etiam ad serenissimum Swetiae regem et ad oratores nostros, quos istic habemus. Nec dubitamus, quin serenissimus quoque Swetiae rex his hortationibus et persuasionibus nostris locum sit daturus et ad omnes pacis conditiones tolerabiles et honestas descensurus. Scripsimus etiam ad illustrissimum dominum Saxoniae ducem et Sacri Romani Imperii electorem, affinem Serenitati Vestrae. Scripsimus autem propterea, quod is istius pacificationis ita studiosus semper extitit, ut nos ad omnes eius conficiendae rationes ineundas commissarios inprimis ad locum destinatu[m] tempore constituto mittendos suo studio literisque in eam rem perofficiose ac diligenter scriptis incenderit. Huius, quoniam magnam apud Serenitatem Vestram auctoritatem esse non ignoramus, non mediocri certe in spe sumus, Serenitatem Vestram etiam illius inprimis consilio fretam a pacis et concordiae rationibus alienam non fore.

Quod, ut fiat, pro mutua coniunctione nostra et in Rempublicam Christianam studio, quae his Serenitatum Vestrarum dissidijs et contentionibus in summum et gravissimum periculum adducitur, non tantum exoptamus, sed etiam a Serenitate Vestra maximopere flagitamus. Dedimus autem in mandatis huic cubiculario nostro, ut literas ad oratores nostros, quos in Swetia habemus, perferrat sine ulla mora. Quibus literis committimus oratoribus nostris, ut, quoniam haec pacificatio finem optatum non est assecuta, omnis autem eius constituendae spes reliqua in eo sit posita, ut induciae, non longi alicuius temporis, constituentur, dent operam apud serenissimum Swetiae regem, quo pacis constituendae ac stabiliendae causa

inducias concedat, ac de commissarijs decidendarum ac terminandarum controversiarum causa denuo mittendis statuatur atque in eo negotio, in quam partem animo propendeat, ut Serenitatem Vestram certiores quam primum reddant mandavimus. Quo igitur praedictus cubicularius noster tuto in Swetiam transmit[t]ere atque hoc iter suum in ea rerum perturbatione armorumque motu absque periculo possit conficere peramanter petimus a Serenitate Vestra, ut eum non tantum literis salvi conductus suis, sed etiam hominum suorum praesidio com[m]uniat. Id quod Serenitatem Vestram non tantum utilitatis publicae, sed nostra etiam causa facturam confidimus. Atque haec quidem de inducijs.

Caeterum, quod in extrema parte literarum suarum Serenitas Vestra primum nos ad bellum adversus Swecum in Livonia redintegrandum excitat, atque ad praesidia Swedica ex sententia foederum deijcienda adhortatur, deinde vero addit, se confidere, nos constantiam nostram in praestandis pactis conventis et Serenitati Vestrae et rev-mo et illustri duci Magno, fratri Serenitatis Vestrae ac eiusdem subditis probaturos, postremo etiam a nobis scire cupit, quid de nostra in ea re voluntate sibi polliceri debeat.

Equidem memoria tenemus, quid responsi in ea re Serenitati Vestrae iam pridem dederimus, verum hac pacificatione, quam sperabamus, non subsecuta conversam rationem mutatumque rerum omnium statum animadvertimus.

Habemus autem in Livonia exercitum nostrum, qui id, quodcumque eius muneris officijque erit, temporisque necessitas tulerit, mandato nostro exequetur. Sed vicissim a Serenitate Vestra peramanter ac fraterne quaerimus, quoniam illustrem ducem Magnum, Serenitatis Vestrae fratrem cum Moschorum principe <sup>1)</sup>, hoste nostro, secreta consilia inire et novas quasdam practicas de terris Livoniae moliri, non tantum crebris literis atque nuncijs ad nos perfertur, sed etiam multis et magnis indicijs comprobatur. Dubium autem nobis non sit, eam ipsam rem, cum ad nostrarum provinciarum, tum vero ad Reipublicae Christianae detrimentum spectare, num illustrissimus dux Magnus ea, quae molitur, consilio atque voluntate Serenitatis Vestrae moliatur, aut num quae de amico speranda sunt, ea omnia de illo sperare et nobis pollicere debeamus. De quo, ut nos quamprimum certiores reddat a Serenitate Vestra amice ac fraterne petimus. Cui optimam valetudinem ac prosperimos quosque successus praecamur.

Datum Varsoviae, die XX<sup>a</sup> mensis Januarij, anno Domini M<sup>o</sup>D LXX<sup>o</sup>, regni nostri XL<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Dithmersiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, amico, fratri et foederato nostro charissimo.

*Alia manu:* Productae Haffniae, 9 Martij anno [15]70.

*Item altera manu:* Responsum ad literas S. Daniae regis.

1) Scil. Ivano IV Terribili.

Varsaviae, 12 Maii 1570.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de commissariis mittendis ad pacis negotia inter reges Daniae et Suetiae  
(Orig., sig.)  
T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldenburgk et Delmenhorst, amico, fratri, affini et foederato nostro charissimo salutem et fraterni amoris ac omnis felicitatis continuum incrementum.

Serenissime princeps, domine, amice, frater, affinis et foederate noster charissime.

In ijs literis, quas Serenitatis Vestrae servitori perferendas dedimus, pluribus verbis Serenitati Vestrae ad eas literas respondimus, quae XVII<sup>a</sup> Martij datae fuerunt. In quibus, etsi nos alienos neququam fore ostendimus ab eo conventu commissariorum communium, cuius Serenitas Vestra et magnificus Carolus Danzaeus, apud Serenitatem Vestram serenissimi et Christianissimi Galliarum regis orator spem nobis non dubiam fecit, tamen, non prius nos commissarios nostros ablegaturos esse iudicamus, quam nobis de tempore ac loco per Serenitatem Vestram et serenissimum Suecorum regem <sup>1)</sup> eidem conventui assignato constiterit. Quoniam enim non ita pridem commissarij nostri, quos Rostochium spe certissima conventus ablegaveramus, rebus infectis et plane perturbatis discesserunt. Veremur, ne idem hoc etiam tempore contingat, si non perspecta et explorata Serenitatum Vestrarum voluntate, eo profiscantur. Cum igitur certo nobis persuadeamus, Serenitatem Vestram pacis communis et tranquillitatis publicae causa rem serio aggredi et pertractare ex animo velle, fraterne ab eadem postulamus, ut nos per hunc cubicularium nostrum, cum de caeteris rebus, de quibus in literis nostris ad Serenitatem Vestram ad eiusdem literas respondendo perscripsimus, tum de eius conventus loco ac tempore certo, per Serenitatem Vestram et serenissimum Suecorum regem assignato, certiores quamprimum reddat, ut ita et commissarij nostri, quos ablegaturi sumus, in profiscendo operam inutilem non sumant, et nos facilius ad Serenitatum Vestrarum voluntatem, nostrum quoque in pace communi et tranquillitate publica concilianda studium accomodemus. Quod superest, Serenitati Vestrae diuturnam valetudinem cum prosperrimo rerum omnium successu a Deo immortali praecamur.

Datum Varsoviae, die XII<sup>a</sup> mensis Maij, anno Domini M D LXX, regni nostri XLI<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Hol-

satiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburgk et Delmenhorst, amico, fratri et foederato nostro charissimo.

*Alia manu:* Productae Hafniae, 17<sup>a</sup> mensis Junij anno LXX<sup>0</sup>.

*Item altera manu:* 12 Maij 1570.

1) *Scil. Ioannem III.*

N. 77

*Varsaviae, 12 Maii 1570.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de negotiis pacis inter reges Daniae et Suetiae; de rebus Livonicis; de legatione Georgii ab Eden; de sacerdotibus ad reginam Sueciae missis;  
de consiliis ducis Magni cum duce Moscoviae.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.I.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Dithmersiae, comiti in Oldenburgk et Delmenhorst, amico, fratri, affini et foederato nostro charissimo salutem et fraterni amoris ac omnis foelicitatis continuum incrementum.

Serenissime princeps, frater, affinis et foederate charissime.

Allata nobis est Serenitatis Vestrae epistola, die 17 mensis Martij ad nos data, ex qua, cum pleraque alia, tum de conventu renovando et pacificatione Serenitatis Vestrae et serenissimi Swecorum regis voluntate restauranda cognovimus. In qua re, quae mens et sententia sit nostra, Serenitati Vestrae aperiendum esse duximus. Sed primum de pacificatione priore, cuius mentionem Serenitas Vestra in suis ad nos literis fecit, nonnihil Serenitati Vestrae scribendum esse arbitramur.

Factorum ac foederum inter nos initorum eam naturam esse, et nos manifeste deprehendimus et Serenitati Vestrae ignotum non est, ut neutri nostrum cum Swecorum rege liceat ad ullas conditiones pacis seu transactiones inscio vel invito altero descendere.

Itaque etsi nihil tum optabilius nobis fuit, ut nunc etiam est, quam ut eae controversiae, quae Serenitatibus Vestris mutuo intercedunt, definiri atque componi possent, tamen, cum ea pacificatio pactis aperte adversaretur, nostrumque ius ac existimationem convelleret, nec ipsi tunc nobis deesse voluimus, et utilitatem publicam, quae in pactis conventisque servandis maxime consistit, nostrae vel necessitudini, vel amicitiae anteponendam esse existimavimus. Quod ipsum quoque de Serenitate Vestra nobis pollicebamur. Nec existimavimus, usu venire posse, ut apud eandem aliorum de nobis pollicitationes plus quam ipsa pacta foederaque valerent.

Ac in ea quidem re, cum caetera nostrum animum exaugebant, tum illud vehementer nos commovebat, quod essent complures per illud ipsum tempus a Serenitate Vestra ad nos scriptae ac missae literae, quae nobis spem non dubiam afferebant, Serenitatem Vestram iuxta pacta et foedera nobiscum communia pacificationem cum Swecorum rege non nisi nobis consultis et plane consentientibus, aggressuram esse. Memoria vero ipsi tenebamus, cum ante aliquot annos ab Errico olim Swecorum rege ad pacem secum privatim ineundam et constituendam invitaremur, etsi tunc nobis conditiones ad eam rem non contemnendae offerebantur, tamen nos et conditiones utiles et fructuosas reiecissemus, nostraeque fidei et pactorum ac foederum religioni posthabuisse et spem in posterum Sweco de pace separatim nobiscum tractandi praecidisse, quin etiam e vestigio cum literis misisse, qui haec, quae facta essent, Serenitati Vestrae nunciarent ac eidem nostrum syncerum et candidum animum et voluntatem ac in pactis servandis fidem exponerent.

His igitur rationibus compulsi et per literas et per oratores nostros, quibus id plane reclamantibus gestum est, Serenitati Vestrae quam ea res esset ac pactis aliena et cum praeiudicio ac iniuria nostra coniuncta iudicavimus ac per eosdem Serenitatem Vestram ad conventum novum commissariorum in aliqua civitatum Germanicarum instituendum cohortati sumus. Quo in negotio, quantum studij atque operae posuimus, res ipsa indicavit.

Cum enim nobis spes non dubia ostenderetur, serenissimum Swecorum regem pacem honestis et tolerabilibus conditionibus amplexurum, Christianissimi autem Galliarum regis apud Serenitatem Vestram orator, magnificus Carolus Danzeus idem de Serenitatis Vestrae singulari erga hanc pacificationem studio literis multoties ad nos datis confirmaret, atque etiam illustrissimus dominus Augustus, Saxoniae dux et elector, Serenitatis Vestrae affinis, suo nos studio literisque in eam rem perdiligenter scriptis inflammaret, adducti sumus, cum nostro perpetuo in Rempublicam Christianam studio, tum eorum ipsorum autoritate, qui ad eam pacificationem momenti plurimum allaturi videbantur, ut nuncios et commissarios nostros Rostochium ad diem constitutam ablegaremus eisdemque plenam tractandi facultatem tribueremus.

Sed ij, quod omnium primi, quod soli ad eum conventum venerunt et quod rebus infectis discesserunt, infortunio et singulari Reipublicae Christianae calamitati tribui debet, quando quidem per eas expugnationes arciuum, concursus exercituum, depopulationes agrorum, quorum in literis nostris mentionem fecimus, Respublica Christiana, quae alioqui barbarorum et immanium hostium incursionibus undique conflictatur, in apertum discrimen atque periculum adducitur. Ac nos quidem in ea pacificatione solam aequitatem prae oculis habentes, eandem sequimur neque potioorem (quod innuere literae Serenitatis Vestrae videbantur) amicitiae aut necessitudinis, quam ipsius aequitatis rationem ducimus. Neque vero ita rudes sumus, ut calumnijs quorumvis aures nostras patefaciamus et quid in una quaque re aequum ac iniquum sit non animadvertamus. Ac neque adhuc in causa Serenitatum Vestrarum iudicium nostrum interposuimus, sed ea hactenus remedia solum adhibuimus, quae ad pacem communem et tranquillitatem publicam conciliandam pertinere existimavimus.

In quo instituto nostro perseverantes, etiam hoc tempore a commissarijs nostris ad eam pacificationem denuo mittendis alieni non sumus, nec temporis brevitate, quod conventui commissariorum per magnificum Carolum Danzeum assignatum et a Serenitate Vestra acceptatum esse, cogno-

vimus, deterremur, ac plane in eam curam incumbimus, ut serenissimum Swecorum regem ad pacem et amicitiam cum Serenitate Vestra colenda adducamus ac nostro etiam studio incitemus. Sed quoniam veremur, ne (quod iam pridem factum est) commissarij nostri istinc rebus infectis aut etiam perturbatis, cogantur discedere atque nostri conatus omnes laboresque, quos suscipimus, sumptus, quos erogamus, in nihilum recidant, statuimus, non prius de tempore conventionis Serenitati Vestrae certi aliquid perscribere, quam, quo sit ad eam rem serenissimus Swecorum rex animo, cognoscamus. Sed ea res, qua ratione a nobis effici possit, intelligere non possumus. Quandoquidem ad nos perfertur, passus et transitus omnes prohiberi et eos iussu Serenitatis Vestrae intercipi et in vinculis teneri, qui ex ditioribus nostris in negocijs, tam privatis, quam etiam publicis in Swetiam transmittunt.

Locum quidem conventus, quod attinet, etsi legitimas causas habemus, cur et Rostochium et Vismariam improbare debeamus, tamen boni publici causa in alterutrum assensum nostrum praebebimus. Quodsi serenissimus Swecorum rex, ut alterutrum eligat, adduci non poterit, longe facilius in quacunque ducum Pomeraniae civitate, sive Stralsundio, sive etiam Stetino, sive in alio quocunque loco, in ducatu Pomeraniae, acquiescemus, nec ob eam unam causam pacificationem rem omnium utilissimam, quantum in nobis erit, dissolvi patiemur, quod ipsum etiam de Serenitate Vestra pro illius in Rempublicam Christianam studio et amore nobis inprimis pollicemur.

Iam vero in societate belli in Livonia gerendi et praesidijs Swedicijs deijciendis, quoniam scire Serenitas Vestra cupit, quid sibi de nobis polliceri debeat, longiores hoc loco non erimus, propterea, quod eam rem superioribus literis nostris attigimus, in quo responso nostro etiamnum acquiescimus, haec tantum adijcienda esse brevibus existimamus.

Pactorum ac foederum, si quisquam Christianorum principum nos certe observantes et esse et videri volumus, nec Serenitati Vestrae ea in parte vel minimum concedimus. Sed illud etiam plane animadvertimus, ea pacta, quae a nobis cum Serenitate Vestra inita sunt, contra Erricum tantum, tanquam pacis communis et tranquillitatis publicae turbatorem, non autem contra serenissimum Joannem, modernum regem, qui tunc in vinculis detinebatur, inita esse, quinetiam is ipse serenissimus Swetiae rex, non tanquam hostis eo foedere exclusus, sed tanquam amicus in foedere comprehensus est, id quod etiam literae Serenitatis Vestrae attestantur.

Quae, cum ita se habeant, quis nos observantes pactorum neget? Quod contra eum arma non feramus, quem non tantum necessitudo et amicitia, sed etiam ipsa foedera ab omni iniuria vindicarunt? Aut quis nos crudeles aut foedifragos non appellet, si in Christianum principem, et eum quidem principem, quem nobis necessitudo, quem amicitia, quem vicinitas, quem ipsa denique foedera coniunxerunt ferro ac igne saeviamus? Quod, si nonnullae intercedunt, quas nos minime negamus, Serenitati Vestrae ac nobis cum Swecorum rege controversiae, eae profecto rectius per commissarios communes aut arbitros terminabuntur, quam armis et bello gerendo. Ad quod tum primum deveniendum nobis et vires contra Swecum coniungendae essent, si eam pacificationem, quam fore, speramus, Swecorum rex et pacem honestam, tanquam suis rationibus alienam, respueret. Quamquam illud quidem satis intelligere non possumus, quoniam haec Serenitatis Vestrae consilia spectent, aut quemadmodum haec invicem cohaereant, quod Serenitas Vestra in ijsdem literis et spem conventus pacificationis stabiliendae causa ostendat, et nos ad bellum contra Swecum in Livonia

redintegrandum cohortetur. Quod quidem bellum, ut nos non necessarium et minime huic tempori accomodatum existimamus, ita amicitiam et eam necessitudinem, quae nobis cum Serenitate Vestra intercedit benevolentiamque mutuam, quoad ipsa volet, conservaturi sumus. Quam tamen non ita pridem res nonnullae labefactarunt.

Nam speculatores nostri, quos cum in caeteros usus publicos, tum ad prohibendam navigationem in Swetiam, bello cum Erico durante, instituimus, sub ipsum tempus pacis, cum nullam hostilitatis aut inimicitiarum causam praebuissent, in mari nostro Livonico a Serenitas Vestrae ministris ad colloquium amicum per fraudem pellecti, partim crudelissime trucidati, partim una cum navibus et rebus omnibus capti, in Daniam abducti sunt. Quam indignitatem et iniuriam nostram, cum Serenitati Vestrae per internum nostrum, venerabilem Georgium ab Eden, praepositum Zucoviensem et secretarium nostrum amice exposuissemus atque eandem, quid amicitia nostra sancte hactenus a nobis culta, quid foedera inita postulerent, fraterne admonuissemus, non est tum internuncius noster ad Serenitatem Vestram admissus et cum responso non satis amico dimissus est.

Non multo autem post in eodem mari sacellanos, quos serenissimae Swetiae reginae, sorori nostrae charissimae <sup>1)</sup> procurandorum sacrorum causa misimus, ministri Serenitatis Vestrae, cum navi et rebus illorum omnibus captos, barbarica quadam crudelitate fame enecarunt.

Commemorare hoc in loco nolumus, quae ad nos perferuntur, de navigatione Suntica et angustijs maris nostris hominibus a Serenitate Vestra intercludendis. Haec enim, quod non tantum ab amicitia et vicinitate nostra sunt aliena, sed etiam, quod pactis inter nos et regna nostra initis adversatur, quorum se observantissima Serenitas Vestra in suis ad nos literis declarat, adduci non possumus, ut credamus.

Illud autem praetermittendum hoc in loco non arbitramur, quod iam non rumoribus, sed plurimorum nuncijs et literis certissimisq; indicijs comprobatur, illustrem ducem Magnum, Serenitatis Vestrae fratrem, consilio, uti dicitur, Serenitatis Vestrae ad Moschorum principem <sup>2)</sup> profectum, nova et perniciose contra nos et Livoniam consilia inire, novas practicas et machinationes struere. Idque non tantum ad occupandum, quem ipse sibi finxit principatum, quantum ad universae Christianae Reipublicae pestem inferendam. De quo per literas nostras admonueramus Serenitatem Vestram et ab ea fraterne atque amice petieramus, ut nos certiores redderet, num ea, quae illustris dux Magnus ageret, consilio, uti fertur, ac voluntate Serenitatis Vestrae inceptaret.

Sed ea de re planam atque directam responsionem non habuimus, ideoque ab eadem amice ac fraterne petimus, ne gravetur ad nos ea ipsa de re plenius atque apertius, quam antehac fecit perscribere, neque patiat, hac etiam in parte suam synceritatem a nobis animique erga nos candorem diutius desiderari, cum nos vicissim nihil eorum praetermittamus, quae ad nostrum erga Serenitatem Vestram candidum et syncerum animum delegendum pertinere existimamus. Etsi vero in suis ad nos literis factum illustris ducis Magni Serenitas Vestra excusat et illum ab officio boni et Christiani principis non discessurum pollicetur, tamen, quod is, cum et affinis et foederatus esset et ratione episcopatum in Livonia, in quam nobis ius integrum competit, subiectus praeter scientiam et voluntatem nostram, ad hostem, non tantum nobis, sed etiam universae Christianitati infestissimum, profectus est, et quod eo absente ministri eius subditos nostros ad defectionem concitare non desinunt, non possumus

hoc illius factum in eam partem interpretari, in quam Serenitas Vestra accipi velit.

Atque haec omnia, num amicitiae nostrae, vel necessitudini, vel etiam ipsis foederibus sint consentanea, Serenitati Vestrae consideranda relinquimus, quam, plane confidimus, pro illius prudentia et in amicitia colenda pactisque servandis constantia ea penitus remoturam esse, quae ad foedera labefactanda et amicitiam nostram diminuendam, vel dissolvendam aliquid momenti essent allatura. Quod reliquum est, Serenitatem Vestram diu ac foeliciter valere cupimus.

Datum Warsawiae, die XII<sup>a</sup> mensis Maij, anno Domini M<sup>o</sup>D LXX<sup>o</sup>, regni vero nostri XLI<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburgk et Delmenhorst, amico, fratri et foederato nostro charissimo.

*Alia manu:* Productae Friderichsburg, den 8 Junij anno [15]70.

1) Scil. *Catharinae*.

2) Scil. *Ivanum IV Terribilem*.

N. 78

*Varsaviae, 10 Octobris 1570.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de navigatione Narvica impedienda; de direptione navium speculatorum  
per classem Danicam; de damnis Gedanensibus illatis et reparandis.  
(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.I.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormantiae, Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri, amico et foederato nostro charissimo salutem et fraterni amoris ac omnis foelicitatis continuum incrementum.

Serenissime princeps, frater, amice et foederate noster charissime <sup>a)</sup>.

Probe iam esse cognitum Serenitati Vestrae, putamus, studium nostrum iam ab aliquot annis susceptum in tuendo Sinu isto maris Baltici, quod regiones nostras alluit et impedienda illa, non nostris saltem, sed etiam multis Christianorum principum ditionibus infesta navigatione Narvica, cuius rei causa nonnullas naves sumptu apparatuque nostro non mediocri instruxeramus. Idem etiam subditi nostri, cives Gedanenses, fece-



runt, videbaturque iam non vulgare esse comparatum praesidium rebus, non adeo nostris, atque omnium in commune, quibus aliquid a crudelitate illa, plus quam barbara, Moschorum principis <sup>1)</sup> metuendum erat. Nam et latrocinia pyratarum ipsius, per omnem illum tractum maris volitantium, reprimebantur et navigatio Narvica intercludebatur, ne ab illa armis, tormentis et aliis id genus bellicis instrumentis a ditionibus catholicorum principum devectis, hostis Moschus instrueretur ac inde formidabilior omnibus redderetur.

Verum, in ipso plane huius studii nostri fervore iniecta sunt varia impedimenta ab iis etiam, qui tam praeclaros nostros conatus ob vicinum suum periculum adiuvere debebant. Et quod antehac, cum per literas, tum etiam internuntium nostrum Serenitati Vestrae, uti amico et foederato nostro indicaveramus, quae fuerit facta anno superiore direptio navium nostrarum speculatoriarum a classe Serenitatis Vestrae Danica, consimilem et nunc paucis antea diebus accidisse, Serenitas Vestra procul dubio non ignorat.

Cives enim Gedanenses, cum haberent tres naves cum quarto myoparone in eundem usum, sicuti supra commemoravimus, paccandi maris et prohibendorum latrociniorum magno sumptu aedificatas ac omni bellico instrumento instructas, de illisque, ut alios vicinos principes et civitates maritimas, sic inprimis Serenitatem Vestram, uti amicum et foederatum nostrum certiore fecerant, eas naves non in alium usum, quam tuendi maris et coercenda pyratica esse destinatas, quas cum in altum eduxissent et ad insulam quandam Barnholmum nuncupatam, in qua pyratae stativa sua habere dicebantur appulissent, ac ibi forte fortuna classem Serenitatis Vestrae reperissent, amice et comiter ab ea, uti amica atque socia nostri primum accepti, blandisque officiis deliniti, omnes tandem unacum omni apparatu et instrumento suo per vim arrepti, Haffniam usque, Serenitatis Vestrae metropolim, abducti sunt, quo in loco captivi hucusque detineri dicuntur, nec debere prius (uti quidem a senatu seu rectoribus loci illius nostris pro salute sua laborantibus responsum est et ad nos huc per quaerelam <sup>b)</sup> Gedanensium delatum) dimitti, antequam progressus actionis eius, quae nunc Stetini de pacificatione instituta est, appareat, ad quam, cum nostri nihil sibi negotii esse affirmarent, dictum esse ab iisdem rectoribus Serenitatis Vestrae, habere adhuc aliquid causae et actionis cum Gedanensibus ac ita velle de ea primum cum ipsis experiri. Sed hoc sane nihil ad naves neque illis, uti vadimonio aut obsidum loco, tractatio Stetinensis indigere videbatur, quae alioqui, ut libere et optimo Catholicorum principum animo pacis publicae constituendae causa suscepta fuit, ita etiam libere absque cuiusquam molestia prosequi eam oportuit.

Causa vero ipsa, si quam Serenitas Vestra contra Gedanenses haberet, rectius, ac ut arbitramur, ad sententiam Serenitatis Vestrae accommodatius hic, apud tribunal nostrum, cui Gedanenses pro iure subiectionis suae subsunt, decideretur, quam per istas detentiones et repressionses disceptari de ea deberet. Quamvis ipsi Gedanenses nullam unquam iniuriam, sed neque illius ullam suspicionem Serenitati Vestrae de se praebuisse, quin omni officiorum genere eam semper coluisse affirmant, ut mirari satis non possumus, unde <sup>c)</sup> et ex qua causa nova haec navium detentio, priore adhuc illa non relaxata, sit consequuta, et nos primi, iniuria appetiti, hoc praesertim pacificationis tempore, a qua pacatiora et laetiora omnia expectabamus, cum in complanandis prioribus iniuriis atque offensis utrinque, ut solet, in communi vicinia susceptis, tum maxime futuris prohibendis.

Ad quam rem nos nostraque omnia studia composueramus, neque ea adhuc, quamvis tot offensis nullo nostro merito susceptis, deponenda nobis esse videntur amiceque adhuc et fraterne Serenitas Vestra compellenda velit, ut communis officii, ita quoque foederum eorum, quae inter nos sancita sunt, rationem habere et ea, quae nobis nostrisve praeter ius et omnem aequitatem ademta sunt, reddi iubeat permittatque ad sua revehi, nec postea intervertat hunc tam salutarem nostrum conatum in tuendis licitis, prohibendis autem periculosis navigationibus susceptum, quem alioqui pro suo et suorum commodo adiuvare etiam deberet, sicuti hoc ipsum alias per leges societatis se facturam receperat, uti in re communi et aequae suis atque nostris ditionibus summopere necessaria.

Non enim magis nos, quam reliquos omnes vicinos istius maris accolae, hic tam ferus hostis petere et subdolis artibus suis per hos sibi insuetas velificationes subruere videtur, iccirco communibus viribus et coniunctis auxiliis illius ferocia videtur esse reprimenda, non autem per discordiam et mutuas nostrorum vexationes augenda. Confidimus autem, Serenitatem Vestram in re tam iusta et mutuae nostrae amicitiae consentanea, nequaquam difficilem se nobis in restituendis iis, quae nobis nostrisve ablata sunt, praebituram diligenterque in omnem partem, expensis rationibus, illud maxime delectur <sup>d)</sup>, quod ad pacem et concordiam, his praesertim maxime exulceratis temporibus, publice servandam, privatis autem iniuriis abstinendis, pertinere videbitur. Quibus sublatis, nullum deinde erit inter nos certamen, praeter amoris et benevolentiae fraternae, quam sane a nostra parte sanctam et inviolatam semper praestare curabimus. Ac tandem Serenitatem Vestram bene valere optamus.

Datum Warschoviae, die X mensis Octobris, anno Domini M.D.LXX<sup>o</sup>, regni vero nostri anno XXXXI.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormantiae, Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorsth, fratri, amico et foederato nostro charissimo.

*Alia manu:* Productae Nikopping, den 18 Novembris anno [15]70.

*Item altera manu:* 10 Octobris 1570.

a) *In margine:* Petuntur ademta restitui. De anno 1570. 1) *Scil. Ivani IV Terribilis.*

b) *Lectio incerta.*

c) *Lectio incerta.*

d) *Sic in ms.*

Varsaviae, 16 Martii 1571.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Ioannem Fridericum, ducem Pomeraniae,  
ut mediatores ad negotia pacis inter Daniam et Suetiam mittat*

*(Exemplar)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Illustri principi, domino Joanni Friderico, duci Stettinensi, Pomeraniae, Cassubiorum et Vandalorum, principi Rugiae, comiti Gutzkovie, amico et consanguineo nostro charissimo.

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae etc. dominus et haeres.

Illustris princeps, amice ac consanguinee noster charissime.

Quantum studium nostrum fuerit componendi eas controversias, quae tam serenissimis Daniae ac Sueciae regibus <sup>1)</sup> inter se, quam quae nobis cum eis Serenitatibus mutuae intercedunt, non esse nesciam Illustritatem Vestram, arbitramur, utpote eam, cuius in ea pacificatione conficienda studium clarum et illustre extitit. Neque vero eandem praeterire existimamus, post constitutam inter eorum Serenitates pacem, restare controversias quasdam inter nos et serenissimum Daniae regem et civitatem Lubecensem multo ante exortas, quae propter angustias temporis et hyemem impendentem, Stettini, in proxime praeterito conventu finiri componique non potuerunt. Ita vero hoc tempore inter nostros et eius Serenitatis commissarios convenisse, ut ad eas controversias finiendas et componendas dies festus sancti Joannis Baptistae, diceretur ac constitueretur, locus vero Stralsundium assignaretur, de ijs autem controversijs a commissarijs eorum principum transigerunt, quos pars utraque sibi, velut pacificatores atque arbitros, delegisset.

Quam conventionem nos ratam et gratam habentes, cum in ea cogitatione + versaremur, quo potissimum in ea tractatione + <sup>a)</sup> pacificatore atque arbitro utendum nobis esset, nullum aptiorem ad eam rem et magis accomodatum principem, quam Illustritatem Vestram, existimamus, vel quod ea sit Illustritati Vestrae nobiscum amicitia et necessitudo, ut in illius erga nos studio et benevolentia libentissime conquiescendum nobis esse existimemus, vel quod ea negotia pleraque non minus nostram, quam Illustritatis Vestrae dignitatem et utilitatem attingunt.

Quamobrem petimus amanter ab Illustritate Vestra, ut ad diem et locum constitutum aliquem ex consiliarijs suis virum ad eam transactionem idoneum pacisque studiosum, Stralsundium mittat eique plenam transigendi et componendi eas controversias facultatem attribuat, quo et nos commissarios quoque nostros et serenissimus Daniae rex itidem suos ablegaturi sumus. Quod quidem studium Illustratis Vestrae in nos omni nostra benevolentia parique aut etiam maiori officiorum genere omni oblata occasione compensare studebimus. Quod reliquum est, bene valere Illustritatem Vestram cupimus.

Datum Varsoviae, die sedecima mensis Martii, anno Domini M<sup>o</sup>D<sup>o</sup>LXXXI<sup>o</sup>, regni vero nostri anno XXXX.

Sigismundus Augustus sst.

*In dorso:* Copye <sup>b)</sup> polnische schreiben von wegen des Sundeschen logs.

a) *Scripta in margine.*

1) *Scil. Friderico II et Ioanne III.*

b) *Lectio dubia.*

N. 80

Varsaviae, 26 Aprilis 1571.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de componendis reliquis controversiis in conventu Stralsundii; de libera  
navigatione subditis regni Poloniae praestanda et de navibus civibus  
Gedanensibus restituendis.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.I. +*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo eadem Dei gratia Daniae, Norvagiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesvitiae, Holsatiae, Stormariae ac Ditmersiae, comiti in Oldemburg et Dalmenhorst, amico, fratri et foederato nostro charissimo salutem et fraterni amoris ac omnis foelicitatis continuum incrementum.

Serenissime princeps, amice, frater, consanguineae ac foederate noster charissime.

Non mediocri nos ea res iucunditate affecit, quod intellexerimus, pacem mutua inter Serenitatem Vestram et serenissimum dominum Svetiae regem <sup>1)</sup>, quorum alterum ut foederatum, alterum ut affinem charum inprimis, habemus, coaluisse, et bellis ijs, non tantum Serenitatibus Vestris, sed etiam Christianae Reipublicae perniciosis, finem impositum esse. In qua re conficienda et ad exitum optatum ac laudabilem perducenda, quantum nos etiam studii atque laboris collocaverimus, non dubitamus, quin et Serenitati Vestrae et caeteris Christiani orbis principibus notum ac exploratum sit.

Erat autem nobis etiam in votis pro foederum nostrorum ratione ac benevolentia Serenitatis Vestrae in nos nostraque in Serenitatem Vestram mutua, ut eae quoque controversiae, quibus mutua nostra benevolentia labefactari possit ac imminui, in eo ipso conventu Stetinensi componerentur ac sedarentur. Quae res, etsi nostram opinionem et expectationem fefellit, tamen, cum nostri commissarii una cum Serenitatis Vestrae commissarijs locum et diem ijs controversiis finiendis assignaverint, absque negotio eam ipsorum conventionem, utpote pacem ac tranquillitatem publicam spectantem, ratam et gratam habentes, misimus, nulla mora interposita, literas nostras ad illustrissimum ac illustrem dominos Joannem Georgium, marchionem Brandeburgensem et Sacri Romani Imperii Electorem etc. affinem, et Joannem Fridericum, Pomeraniae etc. ducem, consanguineos nostros charissimos, quibus ab iisdem postulamus, ut, quoniam ad eas ipsas controversias finiendas et componendas dies festus S. Joannis Baptistae, locus vero Stralsundium constitutus sit et assignatus, de ipsis autem controversijs a commissarijs eorum principum transigi debeat, quos pars utraque sibi veluti pacificatores atque arbitros delegisset, uterque illorum

aliquem ex consiliarijs suis virum ad eam transactionem idoneum pacisque studiosum, Stralsundium ablegaret, eique plenam transigendi et componendi eas controversias facultatem attribueret. Quibus literis acceptis, praedicti principes non solum benevolentia erga nos, sed etiam pacis et tranquillitatis publicae studio ducti, id sese ad diem certam facturos sunt polliciti.

De qua re certiore fieri Serenitatem Vestram per praesentes volumus, propterea, quod eandem conventionem commissariorum nostrorum mutuam, eorum principum nomina, quorum in ea transactione opera uti constituit, nobis quoque indicaturam, existimamus.

Quoniam autem constitutum est, inter nostros et Serenitatis Vestrae commissarios, ut facilioris transactionis causa, tam nostrarum actionum capita, de quibus agendum erit, quam subditorum nostrorum gravamina nobis invicem transmitteremus; ea quidem, quae inter nos et Serenitatem Vestram nondum sunt composita, satis sunt Serenitati Vestrae perspecta, ita ut supervacaneum esse videatur ea denuo commemorare; caetera vero subditorum gravaminum capita, his nostris literis adiuncta, mittimus, certo nobis persuadentes, Serenitatem Vestram ita, uti conventum est, suas itidem literas de eo conventu peragendo ad nos transmisisse, sed vel itinerum difficultate, vel alio quopiam legali impedimento ablegatum Serenitatis Vestrae impeditum ad nos hucusque pervenire non potuisse.

Interea a Serenitate Vestra fraterne postulamus, ut secundum praescriptum eius pacificationis, Stetini factae, et promissionem Serenitatis Vestrae commissariorum, imo et antiqua foedera inter regna et dominia nostra instituta, libertatem navigationis subditis nostris ubique praestet.

Nam de ijs, quae et a Caesareae Maiestatis commissarijs <sup>2)</sup> nostris promissa sunt et a Serenitatis Vestrae commissarijs ad curandum suscepta apud Serenitatem Vestram <sup>a)</sup>, tam de captivis dimittendis, quod quidem etiam iam a nobis factum est, quam de navibus quatuor civium nostrorum Gedanensium reddendis expectationi nostrae pro eius integritate, quam perspectam habemus, satisfactum esse non dubitamus. Quod reliquum est, Serenitatem Vestram optime ac foelicissime valere cupimus.

Datum Warschoviae, die XXVI mensis Aprilis, anno Domini M.D.LXXI<sup>o</sup>, regni vero nostri XLII<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico secundo Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae ac Ditmersiae, comiti in Oldemburgo et Delmenhorst, amico, fratri et foederato nostro charissimo.

*Alia manu:* Rex Poloniae transmittit gravamina subditorum.  
Productae Fredrichsburg pridie Pentecostes <sup>3)</sup> anno [15]71.

+ *Exstat versio Germanica, sine loco et die, intitulata:* Polnisch schreiben verdeutscht.

a) *Supra* suscepta apud numeri 2 et 1.

1) *Scil. Ioannem III.*

2) *Scil. commissarii imperatoris Maximiliani II, enumerati in litteris conventionis de die 13 Decembris 1570, scil. Ioannes Fridericus, dux Stettinensis, Ioachim Schlick, Christophorus de Carlewitz et Caspar de Minkwitz.*

3) *Id est die 2 Iunii 1571 .*

Varsaviae, 11 Septembris 1571.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de invasione classis regis Daniae in portus Pucensem et Gedanensem  
(Orig., sig.)  
T.K.U.A. Polen. A.I.I.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo eadem gratia Daniae, Norvegiae, Gotthorum, Vandalorum regi, duci Slesvici, Holsatiae, Stormariae ac Ditmarsiae, comiti in Oldemburg et Delmenhorst, fratri, affini et foederato nostro charissimo salutem et fraterni amoris ac omnis felicitatis continuum incrementum.

Serenissime princeps, frater, affinis et foederate noster charissime.

Iam fere in expediendo Serenitatis Vestrae nuncio, quem huc ad nos Serenitas Vestra miserat, atque in ablegando nostro ad Serenitatem Vestram altero, cogitantibus nobis desiderio et amicae petitioni Serenitati Vestrae satisfacere, illique mittendis aliquot excellentibus equis gratificari, venit ad nos ingratum nuncium, Serenitatis Vestrae classem mare nostrum invasisse, ac e portu Pucensi ex ipsa statione naves servitorum et subditorum nostrorum, nihil hostilitatis ab amica et foederata classe Serenitatis Vestrae metuentium interceptisse et vi secum abduxisse in Daniam usque. Auxit deinde dolorem nostrum alia res, Serenitatem Vestram ex illis ipsis navibus eductos servitores nostros trucidari mandavisse, plectendis eorum capitibus et ad memorandam infamiae notam ad palos affigendis.

Nunc item rursus ex literis proconsulum et consulum civitatis nostrae Gedanensis accepimus, classem Serenitatis Vestrae armatam in mare ditio- nis nostrae appulisse ac prope Gedanum haerere, minari etiam hostilia civitati, si servitores nostros extrudere civitas nollet, eos non in portu modo, sed in foro civitatis quaerere et capere volens.

Haec omnia, cum intelleximus, non mediocriter sane perturbati sumus, nihilque minus, quam hoc ipsum a Serenitatis Vestrae classe expectabamus, quae depraedantium et latrocinantium more, non indicto bello, quod probi quique facere consueverunt, sed temere et petulanter in ditiones nostras insiluit, nec prius se hostem declaravit, quam patratris tot facinoribus ini- quis et iniustus.

Equidem, uti in colendis amicitijs et servandis foederibus constantes ipsi sumus, ita non facile de quovis aliter iudicamus, neque credere volumus, sciente et iubente Serenitate Vestra id factum esse, a cuius regali et tot nobis vinculis et foederibus obstricto animo abest longe ea cogitatio, quae sine causa, non indicta prius hostilitate, contra fraternitatis, affinitatis et amicitiae foedera molitur eiusmodi res, quae nunc ecce sunt consecutae. Miramur etiam vehementer, qui fiat, quod eo tempore servito- res nostros insectandos et odio persequendos Serenitas Vestra in animum induxerit, cum eos ante amarit eorumque opera in bello Svedico usa fuerit, nunc autem pro meritis talem referunt a Serenitate Vestra gratiam.

Potuimus quidem et possumus etiam, per gratiam Dei, huius classis insolentiam comprimere, sed valuit apud nos et valet plus sancte servandorum foederum religio et amicitia Serenitatis Vestrae, quam cupiditas repentina iniuriae vindicandae et insolentium hominum stultaeque eorum et temerariae audaciae persecutio Nam isthaec, inflata et tumens arrogantia, militari est ingenio et moribus adversa, et quod impetu, non ratione regatur, facili negotio vel ipsa sese conficere, vel confici ab alio solet.

Caeterum, nos satis et officio nostro et mutuis pactis et foederibus facimus, satis et amicitiae mutuae nostrae tot necessitudinum vinculis colligatae, cum de omnibus hisce rebus et iniurijs ad Serenitatem Vestram referimus. Et licet earum rerum consciam esse Serenitatem Vestram, minime intelligamus, tamen, cum res eius momenti sint, quae privatae licentiae modum superant, volumus a Serenitate Vestra cognoscere, quid de his sentiat, et an his iniurijs afficere nos ipsa Serenitas Vestra contra pacta et foedera communia iubeat, an vere militum suorum licentiae in nostra amicitia et dignitate offendenda conniveat. Cum id ad nostram et regni dignitatem defendendam pertinere intelligamus, ut nos ea de re quamprimum certiores faciat a Serenitate Vestra amice postulamus. Si enim Serenitatem Vestram id iussisse, tum etiam in sententia stare nos mutuaeque pacta et foedera offendenda cognoverimus, tum nobis alia consilia sequenda ad amicosque communes nostros hoc referendum erit, idque deinceps faciendum, quod ex dignitate et utilitate rerum nostrarum futurum iudicaverimus.

Non dubitamus etiam, his omnibus perspectis, quin Serenitas Vestra in iustitia nobis ex tot iniurijs acceptis reddenda, officioque suo nobis comprobando talem se praestet, qualem merito debet. Neque enim aliter nobis de Serenitate Vestra persuadere volumus, in eaque sententia sumus, Serenitatem Vestram omnia Christiani regis, affinis, amici et foederati officia in mutua sinceraque nobiscum tuenda amicitia constanter explere velle, uti nos etiam facere agnoscit. Haec quidem subita et inopinata de iniurijs nobis illatis acerbitas nos utcunque retraxit et cohibuit, ut in gratificando eo, quod a nobis Serenitas Vestra amice petijt, nos continuerimus, donec prius de voluntate Serenitatis Vestrae erga nos et bis iniurijs illatis edocti a Serenitate Vestra fuerimus. Cogitabamus enim non modo illis rebus, sed alijs maioribus etiam nostram Serenitati Vestrae benevolentiam probare. Caeterum de voluntate Serenitatis Vestrae erga nos rebusque alijs, ut nobis quamprimum Serenitas Vestra significet, iterum amice postulamus. Quam Deo maximo commendamus eidemque incolumitatem et felicitatem ex animo optamus.

Datum Warsoviae, die undecima mensis Septembris, anno Domini M. D. LXXI<sup>o</sup>, regni vero nostri anno XLII<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico II Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gotthorum regi, duci Slesvitiiae, Holsatiae, Stormariae et Dithmariae, comiti in Oldenborgk et Delmenhorst, fratri, amico et confoederato nostro charissimo.

*Alia manu:* Serenissima Regia Poloniae Maiestas graviter ac indigne fert, speculatores seu ministros suos, nuper ex portu Pucensi a classe Regia, non indicta prius hostilitate, exemptos, in Daniam usque abductos et trucidatos esse. Ac declarationem petit, an ea iubente vel connivente Serenissimo rege nostro fuit perpetrata.

Productae Hafniae, die 17 Octobris, anno 1571.

N. 82

Varsaviae, 11 Septembris 1571.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de litteris missis et expectatis*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeque etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo eadem gratia Daniae, Norvegiae, Gotthorum, Vandalorum regi, duci Slesvici, Holsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri, affini et foederato nostro charissimo salutem et fraterni amoris ac omnis felicitatis continuum incrementum.

Serenissime princeps, frater, affinis et foederate noster charissime.

Quae nuper a nobis, nuncio suo misso, Serenitas Vestra per literas suas amice petijt, quid in causa sit, quominus desiderio Serenitatis Vestrae satisfecerimus, nosque paululum continuerimus, ex literis ad Serenitatem Vestram per servitorem nostrum cum nuncio Serenitatis Vestrae missis, Serenitas Vestra abunde cognoscet. Quibus, ut nobis respondeat, et de his omnibus nobis quamprimum significet, a Serenitate Vestra amice postulamus. Quam Deo maximo commendamus, eidemque incolumitatem et felicitatem ex animo optamus.

Datum Warsoviae, die undecima mensis Septembris, anno Domini M.D.LXXI<sup>o</sup>, regni vero nostri anno XLII<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Frederico II Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gotthorum regi, duci Slesviciae, Holsatiae, Stormariae et Dithmariae, comiti in Oldenborgk et Delmenhorst, fratri, amico et confoederato nostro charissimo.

*Alia manu:* Literae Polonicae per Paulum Bihenn <sup>a)</sup> exhibitae Nikoppingae 20 Novembris anno [15]71.

*Item altera manu:* 11 Septemb. 1571.

Nuntio R?

a) *Lectio incerta* - Behenn? aut - Bibenn?



Varsaviae, 15 Septembris 1571.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae  
universis  
de citatione ad iudicium suum Pauli Glosiothen et aliorum speculatorum  
maris*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.I.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Livoniaeque etc. dominus et haeres.

Significamus praesentibus literis nostris, quorum interest universis, quod cum nobilis Paulus Glosiothen, speculator maris, una cum Bartholomeo Bekier et Michaelae Heluich, complicitibus suis, citatus esset literis citationis nostrae literalis ad iudicium nostrum nomine nostro et instigatoris officii nostri, propterea, quod ipse, oblitus iurisiurandi sui, nobis et commissariis nostris praestiti, merces nostras, quas commissarii nostri per nuncios suos, sub certis conditionibus, apud illustrem in Prussia ducem <sup>1)</sup> aresto liberarunt, Gedanumque transmitti fecerunt, ut post legitimam de iis cognitionem et decisionem factam, decima nobis debita percepta, pecuniam nostram, quam sibi et aliis speculatoribus nostris ex mandato nostro mutuo dederunt, iuxta pacta conventa inde, veluti ex pignore suo, sibi sumerent aliisque creditoribus, qui arestum desuper fecerunt, ex residuo, si quam futurum esset solutionem, fieri curarent - clam commissariis nostris, ante legitimam super iis cognitionem et decisionem factam, cum complicitibus suis in universum fraudulenter rapuerit, pro suo libitu distraxerit pignoreque et debito nostro nos defraudaverit.

Et quamvis commissarii nostri pro ea iurisdictione, quam in eas merces et suam personam ex delegatione et autoritate nostra regia habent, sibi, sub ea fide, qua nobis et illis obstrictus est, mandaverint, ut merces ipsas restitueret, tamen id facere recusaret, immo fiscali nostro, nobili Simoni Bransswik ex mandato eorundem commissariorum nostrorum eas merces nostras conquerenti et exiguam portionem earum, quam adhuc residuam in granario suo invenit, in custodiam nostram recipienti, dum ille hic in aula nostra in negotiis nostris sit, atrocissimas iniurias publice intulisset, impudenter eum undique traducendo et dicendo, eum merces istas nostras ex granario suo, tanquam furem et scelestem, abstulisse ideoque fugam dedisse.

Quae iniuria, quandoquidem ipsi in exercicio officii nostri facta sit, ideo non tam ipsum, quam nos concernit ac laedit. Citans eum ad videntum et audiendum se in poena, quae in articulis conditionis suae, iureiurando suo confirmatis, super eiusmodi delicto suo continetur et nihilominus ad restituendas merces nostras omnes et singulas iuxta inventarium commissariorum nostrorum condemnari ac cogi iniuriasque, tam superius expressas, quam alias in termino sibi obiiciendas nobis et fiscali nostro illatas, in se, in caput suum suorumque complicitium detorqueri decreto nostro, quemadmodum ea omnia in ipsis citationis nostrae literis latius habentur.

In terminoque hodierno hucusque coram iudicio nostro continuato, cittata parte, in praesentia instigatoris nostri iudicialiter sese in hac causa incidente ac insinuante et in singulis iudiciis nostris hucusque ab ipsa supra expressa praefixione sibi termini habitis idem sese fecisse, nec tamen instigatorem aut fiscalem nostrum instigare contra se voluisse, immo eam causam iudicialiter sibi esse hactenus procrastinatam, declarante ac conquerente, instigatoreque nostro praesente et nihil se scire de hac cittatione et causa referente.

Tandem parte cittata productis suis literatoriis documentis comprobante, nos acceptionem decimae ex controversis mercibus a Paulo Glaso et consortibus suis factam, vigore prioris decreti nostri in hac causa lati, ratione donationis nostrae dicto Paulo super eadem factae, approbasse. Et aes quoque alienum, quo citati fisco nostro obstricti sunt, nos vigore privilegii speculatoribus nuper concessi, in se recepisse. Ac petente se a cittatione ipsa eiusdemque termino necnon causa praesenti ac omni eo nomine instigatoris nostris impetitione liberam ac absolutam esse, pronuntiari.

Nos cum consiliariis et iurisperitis nostris, attenta negativa ipsius instigatoris nostri ac legitima affectatione, tum sufficienti expurgatione partis cittatae, eandem a cittatione ipsa eiusdemque termino necnon causa praesenti ac omni instigatoris nostri impetitione liberam ac absolutam esse pronuntiavimus, uti quidem pronuntiamus praesentibus, hoc nostro decreto mediante. In cuius rei testimonium sigillum nostrum praesentibus est appressum.

Datum Warschoviae, die sabbato post festum Exaltationis Sanctae Crucis proximo <sup>2)</sup>, anno Domini M<sup>o</sup> D<sup>o</sup> LXXI<sup>o</sup>, regni vero nostri XLII<sup>o</sup>.

Valentinus Dąbiensky  
R[egni] P[oloniae] Cancellarius <sup>a)</sup>

Relatio magnifici  
Valentini Dembianski de  
Dembianij R.P. Cancelarii  
etc.

a) *Sequitur verbum illegibile abbreviatum* -  
sst.

1) *Scil. Albertum.*

2) *Scil. die 15 Septembris 1571.*

N. 84

Varsaviae, 28 Septembris 1571.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae  
universis  
decretum in causa Pauli Glasaw, civis Gedanensis  
(Exemplar)  
T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiaeque dominus et haeres.

Significamus praesentibus literis nostris, quorum interest, universis et singulis, praesertim vero spectabilibus et famatis proconsuli et consulibus civitatis nostrae Gedanensis, fidelibus nobis dilectis:

Quod nos ex ea controversia, quae fiscali nostro cum Paulo Glaschaw eiusque litis consortibus coram nobis de mercibus quibusdam in granario fiscali nostri conclusis (de quibus iam antea mentem nostram declaravimus, dato ad spectabilem senatum Gedanensem rescripto nostro, manu nostra subscripto) extitit, satis superque cognovimus, eas ipsas merces proprie nostras esse.

Quando quidem memoratus Paulus Glasaw universa bona Memeliensia temerario ausu ad se receperit decimamque nobis debitam, invitis commissariis et fiscali nostro, interverterit, fiscalis vero noster pro debito officii sui id, quod granario suo inclusum est, exinde recuperavit; quod decimae nostrae et aliorum quadringentorum florenorum commissioni nostrae ex causa mutui debitorum; praeterea expensarum ex fisco nostro ad liberationem earum mercium erogatarum et aliorum centum et trium talerorum itidem ex fisco nostro toti societati capitaneorum ad promovendum tam hoc Memeliense, quam alia communis divisionis negotia, mutuo datorum summam longe non adaequabit.

Cum itaque Paulus Glasaw ex propria autoritate id, quod nostrum erat, abstulit, decernendo cognovimus, prout per praesentes cognoscimus et declaramus, eundem Glasaw in hoc casu contra iuris normam et debiti sui exigentiam egisse, fiscalem vero nostrum recte officio suo in recuperando eo, quod nostrum erat usum esse, spectabili itaque senatui Gedanensi huius reiteratae declarationis nostrae executionem sub poena mille aureorum Ungaricalium, fisco nostro irremissibiliter ex bonis privatis, non publicis, exsolvendum, per praesentes demandamus, ut pro debito officii sui, mox visis hisce literis nostris, seram suam a granario fiscali nostri amoveant, procurantque et perficiant, ut absque cuiusvis impedimento merces istas nostras, vi ibi conclusas, idem fiscalis noster ad manus suas recipere et secure distrahere pecuniamque exinde comparatam in usus nostros demandatas convertere possit (prout etiam certi commissarii nostri de iis mercibus nostris in mandatis habent), non obstantibus quibusvis in contrarium impetratis vel impetrandis ex cancellaria nostra literis, nihil etiam remorante decreto nostro in termino nullo, ex remisso spectabilis senatus Gedanensis incompetenti et a fiscali nostro non accepto, ad unius partis instantiam tantum lato emanatoque (cum ea causa et res propria nostra sit et ad relationes nostras tantum pertineat).

Quae omnia, uti de iure invalida et nulla, de certa scientia nostra per praesentes literas nostras cassamus et annihilamus. In cuius rei fidem et testimonium indubitatum praesentibus manu nostra subscripsimus et sigillum nostrum apprimi iussimus.

Datum Varschaviae, feria sexta ante festum divi Michaelis proxima <sup>1)</sup> anno Domini millesimo quingentesimo septuagesimo primo, regni vero nostri anno quadragesimo secundo.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Oblatum per Simonem Braunschweigk contra Paulum Glasow,  
5 Novembris anno 1571.

1) *Id est die 28 Septembris*

Varsaviae, 6 Octobris 1571.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de detentione navium mercatorum Gedanensium ex Portugalia cum sale  
et preciosis mercibus revertentium in faucibus Oeresundicis; quaerit  
ut naves et merces restitui iubeat.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.I.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Livoniae etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Sleswiciae, Holsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, amico, fratri et foederato nostro charissimo salutem et omnium bonorum foelix incrementum.

Serenissime princeps, domine, amice, frater et foederate noster charissime.

Vixdum finitis nostris ad Serenitatem Vestram prioribus literis de arrestatis et detentis decem navibus Gedanensium subditorum nostrorum per praefectos Serenitatis Vestrae in faucibus Orisundensibus, affertur ad nos iterum, alias naves eorundem civium et quidem numero duplicato aut etiam, ut scribitur, maiore, detentas esse in iisdem faucibus per praefectos item Serenitatis Vestrae, quae naves sale item et alijs ex Portugalia atque aliunde allatis preciosis mercibus sunt onustae.

Quae res quidem, aliae post alias, quam animo nostro cogitationem suppeditent, Serenitati Vestrae aestimandum relinquimus. Quae, cum et ipsa per Dei gratiam sit regia dignitate praedita et regia in sede collocata, facile intelligere potest, quam grave sit audire querelas pene quotidianas innocentium subditorum suorum a magistratibus et praefectis eius regis illatas, cum quo nobis amicitiae, affinitates, pacta, foedera et pleraque alia bonae vicinitatis iura intercedunt.

Huc accedit, quod haec nobis quidem eveniunt eo tempore, quo nos non modo nihil de commutato Serenitatis Vestrae erga ditiones nostras animo suspicari, sed etiam de constantia plane ipsius in mutua amicitia nostra omnia nobis prolixius poteramus polliceri. Quandoquidem hoc ipso tempore, quo primum hae praefectorum Serenitatis Vestrae iniuriae ad nos adferri coeperunt, habebamus prae manibus non solum literas Serenitatis Vestrae amicitiae plenissimas, recentissime ad nos scriptas, verumetiam equos ipsos, qui a nobis per easdem Serenitatis Vestrae literas, pro amicitiae monumento, postulabantur. Quibus sane ex rebus fit, ut incerti plane simus, quid, cum de rebus ipsis, tum vero de animo Serenitatis Vestrae statuamus. Etsi enim libentius omnia de Serenitate Vestra credimus, quae tum ad constantiam voluntatis illius tuendam, tum etiam ad mutuam nostram amicitiam conservandam pertinent, quando nos quoque et constantia ditorum factorumque nostrorum inprimis delectamur et amicitiam Serenita-

tis Vestrae plurimi aestimamus, tamen continuatae hae subditorum nostrorum querelae et quaedam alia, de quibus fraterne et aperte superioribus nostris literis ad Serenitatem Vestram perscripsimus, faciunt nos quodammodo earum rerum dubios et incertos.

Quod, cum ita sit, a Serenitate Vestra maiorem in modum postulamus, ut vel naves quidem detentas dimitti ac de reliquis iniurijs nobis ac subditis nostris Gedanensibus satisfieri iubeat, quod sane inprimis omnium vellemus, uti et dignitati ac amicitiae mutuae nostrae et captis ac foederibus communibus et maxime tranquillitati Reipublicae Christianae consentaneum, vel quo tandem animo sit erga nos, subditosque ac ditiones nostras, Serenitas Vestra nobis aperiatur. Quam bene valere cupimus.

Datum Varsoviae, die VI mensis Octobris, anno Domini M. D. LXXI, regni nostri XLII<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Hol-satiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, amico, fratri et foederato nostro charissimo.

*Alia manu:* Poloniae Rex petit naves Gedanensium dimitti et pro iniurijs illatis satisfieri, vel declarationem animi, quo erga ipsum et subditos e[ius] sit.

Productae Friderichsburgi, die Simonis et Judae <sup>1)</sup> anno [15]71.

1) *Id est die 28 Octobris.*

N. 86

[*Friderichsburgi, 24 Octobris 1571*].

[*Fridericus II rex Daniae*],  
ad [*Sigismundum Augustum regem Poloniae*],  
*respondet ad querimonias concernentes necem speculatorum maris et saevitiam in Gedanenses; de navigatione Narvica et mercatoribus Ruthenicis.*

(*Exemplar. Fragmentum*)

T.K.U.A. Polen. A.I.1.

Ad speculatores istos quod attinet, qui proximis hisce annis sub nomine et auspicijs Serenitatis Vestrae mare infestarunt et tam in nostros, quam in aliorum Christianorum regum et principum subditos Narvam versus navigantes vim hostilem exercuerunt, probe meminit Serenitas Vestra, quoties eam, quantoque cum studio de licentia istorum hominum coerenda permittendoque libero et in mutuis foederibus nostris expresse reservato navigationis istius et mercimoniorum Rrhenicorum usu, tam per literas, quam legationes superiores admonuimus.

Nec intermisimus, Serenitatis Vestrae subditos, proconsules et senatores Gedanenses, quorum ea in re partes nonnullae esse videbantur, qui quae pyratibus istis ad subditorum nostrorum bona tam diripienda, quam distrahenda, receptum liberum permiserunt, pari regiaque sollicitudine ac toties de officio suo commonefacere, ut supervacaneum <sup>a)</sup> omnino esse iudicemus, ea apud Serenitatem Vestram in re toties disceptata iam iterum ingeminare.

His tam frequentibus admonitionibus nostris ex regia moderatione nostra ac communis tranquillitatis studio profectis, cum usque adeo nihil proficeremus, ut quaerelis tam nostrorum subditorum, quam aliorum Christianorum principum, qui se in salo nostro, non tantum Nervae versus, verumetiam ad alia loca navigantes, vim et iniuriam ab excubitoribus istis perpassos esse dolebant, quotidie fatigaremur. Ac in ipsis portibus et stationibus nostris, sprete iurisdictione nostra, illi in nostros pyratibus exercerent, nec a proprijs navibus bonisque privatim nostris sibi temperarent.

Ideo adhortationi declarationem necessariam demum adiunximus, ni Serenitas Vestra in refrenanda speculatorum istorum malitia et rapacitate suam nobis benevolentiam tempestive probaret et publicae utilitatis, in permittendis mercimonijs licitis et reservatis eam, quam decet, rationem haberet, tum ad alia remedia ad securitatem navigantibus per stationes nostras praestandam, necessario nobis recurrendum esse.

Quae, cum ita sint, eaque quae inde sunt consecuta, a memoratis declarationibus nostris minime sint aliena, sed cum ijs plane convenient. Miramur certe, quod Serenitas Vestra vel in nobis moderationem maiorem desideret, vel classiariorum nostrorum probitatem, ob non factam novam denunciationem, contractare permittat. Nec diffitemur, nobis non nescientibus, nec invitis, excubitores istos, non tanquam Serenitatis Vestrae ministros, sed tanquam pyratas et praedones manifestos, nuper in mari interceptos et pro ipsorum merito sententiam et iuris executionem passos esse. Non enim minores iam sumus, sed pubertatis annos excessisse nos arbitramur, ut sciamus ipsi, quid classiaris et ministris nostris hac in parte, tam pro dignitate nostra, quam communi utilitate vindicanda, demandatum fuit. Nec cuiquam ex nostris tantam libertatem et audaciam indulgemus aut permittimus, ut nostro sub nomine et auspicijs, sine speciali mandato nostro, res tales attentare quisquam praesumat.

Etenim, cum tam bonis ac saluberrimis admonitionibus nostris nihil proficeremus, sed temeritatem ipsorum in dies singulos ac pene in immensum cresceret audacia ita, ut subditos nostros demum quoquo versus navigantes prope Gothlandiam, Borringholmiam, Monam ac in ipsis stationibus nostris offenderent et spoliarent, quosdam etiam Gedanum adductos nuper admodum squalore carceris encarent. Ideo praeter morem et voluntatem nostram durioribus medijs nobis utendum fuit, cum ut exemplo alij a pyratibus in nostros exercenda deinceps deterreantur, tum ut navigantibus mercimoniaque licita exercentibus, nostro praesertim in salo, sua constet securitas et libertas. In quo Gedanenses etiam, ne in dominatione in Oceano appetenda nimium ipsis indulgisse videremur, praesertim cum ipsi pyratibus istis suo in portu ac civitate ipsa recipere et fovere non cessarent, severius admonendos ac nonnihil coerendos esse iudicavimus.

Quod quidem Serenitas Vestra tanto minus moleste aut indigne feret, quanto magis a divina benignitate sibi concessa singulari prudentia optime intelligit, ob publicam utilitatem rerumque necessariorum commoditatem,

navigationis et mercimoniorum usum a summis principibus non impediendum, sed promovendum esse, quod certe inprimis de Narvica navigatione ac mercimonijs Rhutenicis aequum esse statuet, cum eius usum et libertatem subditis nostris in mutuis foederibus reservaverimus, cumque quam plurimi Serenitatis Vestrae subditi, quod multis exemplis doceri potest, ipsi exerceant. Quod autem ipsa temeratores istos ministros suos appellare eisque ob navalem <sup>b)</sup> in bello Suetico causaque communi bonam operam gloriam nonnullam tribuere non dedignatur, illud certe Serenitatis Vestrae apud omnes bonos et ubique terrarum celebratissimam bonitatis ac mansuetudinis laudem magis commendat, quam quod ipsi, qui non semel apud hostes a nostris reperti fuerunt, quicquam ea appellatione aut tantis elogijs dignum praestiterint.

In qua sententia primum pax triennalis, quam Serenitas Vestra, adiuratis tabulis, cum magno principe Ruthenorum <sup>1)</sup> iam pridem constituit, nos non mediocriter confirmavit. Cum ea enim minus convenire videbatur cuiquam licentiam permissam in eos, qui ad Rhutenos navigant, vim hostilem exercendi. Accessit deinde, quod captivi isti, nec signato a Serenitate Vestra diplomato <sup>c)</sup>, nec alio documento fidem facere idonee potuerunt, potestatem liberam nostris in stationibus grassandi post pacem Stettinensem et inducias triennales cum Moschorum principe constitutas a Serenitate Vestra ipsis concessam. Quod quidem ipsorum invidiam et in administranda iustitia vigorem non parum auxit et confirmavit.

Minime autem volente, nec indulgente Serenitate Vestra, tot iniurias a speculatoribus istis ad diminutionem iuris et dignitatis nostrae susceptas esse, certe, ut statuamus, facit cum ea, quae nobis cum Serenitate Vestra intercedit mutua et fraterna amicitia, tum ipsarum rerum atrocitas. Ideoque perturbationum istarum culpam non Serenitati Vestrae, sed hominibus quibusdam privatis, qui suas opes, summo cum dispendio publico accumulare non desinunt, merito imputamus. Omninoque confidimus Serenitatem Vestram fraterne ac in bonam partem accepturam esse, quod iniuriarum frequentia et atrocitate permoti, dignitatis nostrae et utilitatis communis condignam hac in parte rationem habuimus. Ita enim eo in negotio versati sumus, ut non tantum communium amicorum nostrorum iudicium, ad quos Serenitas Vestra respicere videtur, verum etiam omnium Christianorum principum sententiam in causa alias cum ipsis communi minime defugiamus, daturique sumus operam, modo speculatores isti a vi et iniuria in nostros et aliorum Christianorum regum et principum subditos in posterum exercenda penitus abstineant, ne aut Serenitas Vestra quicquam, quod ad coniunctissimi amicissimique principis officium pertineat, aut eiusdem subditi benignitatem aut regiam clementiam in nobis desiderent.

.....

*In dorso:* Extract  
Ex literis ad regem Poloniae sub dato  
Friderichsburgi, 24 Octobris anno [15]71.

a) *Sequitur verbum sit - deletum.*

1) *Scil. Ivano IV Terribili.*

b) *Lectio incerta: navatum?*

c) *Sic in ms.*

Varsaviae, 22 Februarii 1572.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de speculatoribus maris a praefectis necatis; de navibus Gedanensium in  
faucibus Oeresundicis detentis; de Narvica navigatione: quaerit, ut Ge-  
danensibus naves cum mercibus restitui iubeat, navigationem per  
Oeresundum permittat et ut conventus instituat ad componendas  
controversias.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

Sigismundus Augustus Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lituaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Livoniae etc. dominus et haeres. Serenissimo principi, domino Friderico secundo eadem gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesvitiae, Holsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, amico fratri et foederato nostro charissimo salutem et fraterni amoris ac omnis felicitatis continuum incrementum.

Serenissime princeps, domine, amice, frater ac foederate noster charissime.

Quam gravia auribus nostris acciderent ea, quae ad nos superioribus diebus adferebantur, tum de temeritate quorundam subditorum Serenitatis Vestrae, qui servitores nostros, quos ad custodiam maris nostri apposueramus, in portu et statione nostra comprehensos, extremo supplicio indignissime affecerunt, tum de calamitate Gedanensium, subditorum nostrorum, quorum naves, concessam atque usitatum navigationem exercentes, in faucibus Orisundensibus et ditone Serenitatis Vestrae detinerentur, ex prioribus nostris binis ternisve literis Serenitatem Vestram satis intellexisse arbitramur et revera, quod etiam Serenitas Vestra ex sensu ipso suo facile iudicare potest, res erant eiusmodi, quae alioqui cuiusvis animum non exacerbare magnopere non possent. Grave est enim ei, cui tuendorum ac defendendorum suorum populorum cura incumbit, audire identidem fortunas, vitam, libertatem denique illorum in tantis periculis ac discriminibus quotidie versari in eius praesertim regis imperio ac ditone, cum quo nobis multa necessitudinis, multa vicinitatis, multa benevolentiae mutuae, multa foederum ac pactorum communium, tum vetera, tum recentia iura intercedunt.

Equidem, quod speculatores ipsos attinet.

Etsi ij eo potissimum consilio a nobis ad custodiam maris adhibiti fuerunt, quod non magis ad regni nostri, quam ad omnium aliorum dominiorum vicinorum salutem et incolumitatem conservandam vergeret, prohibenda Narvica ista navigatione nova, inusitata, contra veteres maritimarum civitatum leges suscepta ad perniciem denique totius huius maritimae orae excogitata et a paucis quibusdam levissimorum compendiorum causa nuper admodum usurpata, nec ad aliud fere, quam ad augendam et amplificandam Mosci potentiam instituta, tamen in hoc tam iusto et pro communi inprimis salute suscepto proposito nostro, cum intelligeremus desiderari nonnihil a Serenitate Vestra parati equidem fuimus aliquid eius-



modi communi cum Serenitate Vestra consilio statuere, quod toti huic orae maritimae expedire et bonum esse atque commodum videretur. Et sane, cum alijs quoque de causis, tum vero propter navigationem istam, maxime cupiebamus, commissarios nostros cum commissarijs Serenitatis Vestrae Stralsundi convenire, secundum ea, quae paulo ante in pacificatione Stetinensi de communi nostrorum et aliorum principum commissariorum sententia fuerunt constituta. Qui profecto conventus, cur a Serenitate Vestra tunc temporis repudiatus fuerit et neglectus, nos quidem nunc etiam causam non videmus.

Quod autem attinet Gedanensium naves interceptas.

Equidem non mirari aliquantum non possumus, plecti homines, subditos nostros, nullius antea in Serenitatem Vestram delicti apud nos accusatos, ut quasi nos ex illis ius negaverimus, ita debeant bona facultatesque eorum in ditione praesertim regis socij et amici arrestari, quam ad rem non solet fere, nisi omnibus alijs frustra tentatis remedijs, deveniri. Nunc, si quis fuerit, qui Gedanenses, quasi participes eorum, quae per speculatores nostros fierent et vererentur, plectendos esse existimet, Serenitas quidem Vestra existimare iam non potest, quae ex literis nostris plerisque satis cognoscere potuerit, magistratum civitatis illius ab omni prorsus commercio ac societate in speculatorum navibus expediendis semper immunem extitisse, nec aliud plane commune cum ipsis habuisse, quam quod interdum illis receptum in civitate nostra praebere mandato nostro cogeretur. Quod tamen ipsum fraudi esse civitati illi minime debeat, cum id quidem pro fide et subiectione sua erga nos aliter facere non potuerit. Nam illud pro crimine publico duci a Serenitate Vestra non existimamus, quod privati aliquot ex civitate illa operam nonnunquam speculatoribus ipsis dederint, quandoquidem id in ipso quoque Serenitatis Vestrae regno, bello Suetico durante, factum esse constat.

Haec igitur erant, quae nos hactenus de animo Serenitatis Vestrae non nihil dubios tenuerunt, ita sane, ut de eo tandem ex ipsa Serenitate Vestra perquirendum esse nobis per literas nostras existimaverimus. Quas quidem ad literas, cum Serenitas Vestra ita responderit, ut solas speculatorum iniurias sibi displicere, amicitiam autem nostram, antiquitus iam inde a maioribus nostris constitutam et a nobis postea mutuis officijs et studijs non mediocriter auctam, caram nihilominus sibi et esse et fore ostenderit, equidem per mutuum hanc amicitiam et pridem inter nos constitutam et nunc etiam literis Serenitatis Vestrae repetitam, a Serenitate Vestra amanter et fraterne petimus:

Unum, ut naves Gedanensium, partim recens in faucibus Orisundensibus detentas et pigneratas, partim etiam ante biennium adversus Moscorum pyratam, uti Serenitas Vestra ex ipsis tunc literis nostris cognoverat, defendendi, non nocendi causa expeditas, quamprimum libere cum mercibus omnibus restitui dominis suis iubeat; et praeterea in posterum navigationem ultro citroque liberam permittat, quam illi navigationem, videntur, non solum iure communi atque adeo postrema ista constitutione Stetinensi, nec solum ipsis privilegijs civitatis, sed etiam singularibus suis erga maiores Serenitatis Vestrae meritis retinere debere.

Quod quidem, ubi a Serenitate Vestra factum fuerit, uti non dubitamus, freti prudentia et amicitia Serenitatis Vestrae, nos quidem vicissim in gratiam Serenitatis ipsius Vestrae non inviti facturi sumus, ut speculatores istos non modo (quod solum Serenitas Vestra a nobis petere videtur) ab inferenda cuiquam iniuria arceamus, sed etiam è mari ipso in terram prorsus revocemus et custodiam ac observationem navigationis

Narvicae interea suspendamus, donec communi nostrorum et Serenitatis Vestrae commissariorum consilio certi aliquid in hoc genere fuerit constitutum.

Alterum autem a Serenitate Vestra petimus, ut primo quoque tempore conventus eiusmodi de mutua nostra voluntate et consensu alicubi indicatur, ad quem perfecti commissarij nostri communes vel, si ita videbitur, arbitri utrinque deligendi possint componere, cum has istas, tum omnes alias controversias nostras. Nihil enim fere est, quod aequè desiderare videamur, quam pacem et tranquillitatem communem et praeterea amicitiam ac benevolentiam, tum aliorum regum ac principum, tum etiam Serenitatis Vestrae, cum qua nobis pleraque iucundissimae necessitudinis vincula intercedunt. Nos quidem, si Serenitas Vestra de eius conventus die aut loco sententiam nostram perquirat, cuperemus, eum circiter Paschalis ferias et quidem Stetini constitui. Qua de re tota responsum Serenitatis Vestrae primo quoque tempore expectamus. Bene valere Serenitatem Vestram cupimus eique fraternum nostrum amorem ex animo commendamus.

Datum Varsoviae, die XXII mensis Februarij, anno Domini M. D. LXXII, regni nostri XLIII<sup>o</sup>.

Sigismundus Augustus  
Rex sst.

*In dorso:* Ser-mo principi, domino Friderico secundo Dei gratia Daniae, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum regi, duci Slesviciae, Hol-satiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, amico, fratri et federato nostro charissimo.

*Alia manu:* Rex Poloniae promittit speculatores e mari revocatos, modo Gedanensium detentas naves Regia M-tas Daniae restituet. Productae Corsör, pridie Palmarum anno [15]72 <sup>1)</sup>.

*Item altera manu:* 22 Feb. 1572.

a) *Lectio incerta.*

1) *Id est die 29 Martii.*

N. 88

[*Friderichsburgi, 14 Aprilis 1572*].

[*Fridericus II rex Daniae*],  
ad [*Sigismundum Augustum regem Poloniae*],  
respondet ad litteras datas Varsaviae, die 22 Februarii de excubitoribus maris et navibus civium Gedanensium per praefectos detentis, de traditione castris Parnaviae et de futuro conventu inter commissarios regios Polonicos et Danicos instituendo.

(*Minuta*)

T.K.U.A. Polen. A.I.1.

Litterae Serenitatis Vestrae, die XXII mensis Februarii, Varsoviae scriptae <sup>1)</sup>, quas pridie Palmarum <sup>2)</sup> in itinere nostro eiu[s]dem tabellarius nobis reddidit, multis nominibus iucundae nobis et gratae fuerunt, cum quod

ad priores nostras de speculatorum rapacitate et malitia conquaerentes moderate admodum respondit, tum quod suam nobis ea in re sententiam et in tuenda avita necessitudine nostra fraternam voluntatem non obscure testatam fecit.

Quorum alterum Serenitatis Vestrae moderationem plane regiam plurimum nobis commendavit, alterum vero nostram de ipsius erga nos benevolentia dudum conceptam fiduciam non mediocriter auxit et confirmavit. Utrumque certe nos commovit, ut pari studio in conservanda ornandaque amicitia nostra mutua, perpetuo cum Serenitate Vestra tam Gedanensium, quam speculatorum postulationibus permotam, ob eliberandas naves, in statione nostra detentas, auctoritatem et praeces suas toties interponere. Ita rem congratulatione dignam iudicamus, quod Serenitas Vestra mitius iam ac rectius nonnihilo, quam antea, iudicare videtur de consilio nostro <sup>a)</sup>, quo ut regiae iurisdictionis nostrae et publicae utilitatis in securitate navigationis praestanda rationem haberemus necessitate quadam adducti sumus.

Etenim, quam excubitorum violentia, quam sub nomine et auspicijs Serenitatis Vestrae ac praetextu Narvicae navigationis impediendae multos iam annos, tum in nostros, quam aliorum Christianorum regum et principum subditos eorumque merces et bona pyratum in modum exercuerunt, gravis omnibus ac nobis inprimis ob regiam iurisdictionem nostram sit intolerabilis, de eo Serenitatem Vestram, cum per literas, tum per legationes nostras, toties certiore fecimus ac fraterne monuimus, ut eius rei mentionem ulteriorem iam supervacaneam iudicemus. Nec dubitamus, Serenitatem Vestram ab alijs etiam Christianis regibus in causa hac, alias communi officij sui saepius admonitam. Ideoque, cum non minus indecorum, quam indignum existimemus, ut speculatores isti, privatum commodum summo cum dispendio publico sectantes, in literis tantorum principum toties nominentur, hoc saltem iam declarare et acceptare volumus, Serenitatem Vestram eo in negotio, nihil ad amicitiam nostram foederaque mutua tuenda magis accommodatum, nihil ad publicum commodum magis opportunum ac necessarium praestare nunc posse, quam si quod in literis suis recipere videtur, temeratores istos ab inferenda cuiquam iniuria arceat, ex mari eos in terram avocet ac custodiam istam observationemque navigationis Narvicae suspendat. Quod si fiet, simulque Serenitas Vestra subditis nostris, quibus excubitores isti naves et bona per iniuriam, sat magno, tam ante, quam post pacem Stetinensem eripuerunt, restitutionem ablatorum decreverit, quod quidem antea, transmissa ad Serenitatem Vestram designatione, saepius amice postulavimus ac etiamnum fraterne postulamus, ac ea in eliberanda tradendaque nobis Pernovia expectationi nostrae mutuisque foederibus temum satisfecerit. Iam eas, si quae supersunt, offensiones, tanti momenti vix esse arbitramur, ut necessarium sit, aut conventus commissariorum nostrorum iam instituere, aut communibus amicis et consanguineis, proprijs ac gravioribus negocijs alias occupatis, molestiam ferre.

Nam quantum ad ipsam Narvicam navigationem pertinet, cuius usum Serenitas Vestra, ut semper, iterum iam detestari videtur, probe meminit Serenitas Vestra, eam neque tam novam, inusitatam aut nocivam, nec a foederibus nostris mutuis tam alienam esse, ut eam iure, ipsa, impedire aut

possit, aut debeat. Cum tam subditi nostri, quam alij huius maris accolae ab antiquo mercimonia licita cum Rhutenis exercuerint, nosque eorum, ac inprimis Narvicæ navigationis liberum usum, non tantum in foedere cum Serenitate Vestra pridem sancito, verum etiam in pace Stetinensi, ipsa Serenitate Vestra intercedente, expresse reservaverimus.

Gedanenses, de navibus ac bonis in statione nostra pignoratīs, reliquisque offensionibus, se per legatos nobiscum acturos esse, scriptis literis profitentur. His nos, cum advenerint, tractationem permissuri ac ita nos comparaturi sumus, praesertim, si Serenitas Vestra, uti confidimus, memoratis in rebus suam nobis aequitatem ac benevolentiam re probaverit, ne aut ipsa, aut subditi ipsius, avitae coniunctionis ac vicinitatis mutuae tuendae ornandaeque studium, vicissim in nobis desideret.

Dederunt nuper ad nos literas, plenas humanitatis et officij, illustrissimi principes, Sacri Romani Imperij archimarschalcus et archicamerarius Saxoniae <sup>3)</sup> et Brandenburgensis <sup>4)</sup> electores, et consanguinei, affines et fratres nostri charissimi, quibus intercessionem et tractationem offensionum inter nos ac Serenitatem Vestram, tempore ac loco oportuno, amice offerebant ac testabantur, Serenitatem quoque Vestram hoc nomine compellatam. Eorum Illustritates, de Gedanensium in legatione ad nos mittenda, consilio certiores fecimus, ac nos, si de loco et tempore idoneo ac Serenitatis Vestrae voluntate tempestive edoceremur, a conventu et tractatione in rebus tam dilucidis, non alienos declaravimus. Nec dubitamus, Serenitatem Vestram ab Illustritatibus ipsorum ea latius cogniturum.

Quod autem commissarios nostros ad locum et tempus a Serenitate Vestra propositum iam non misimus. In eo et temporis et tam honorificae istius intercessionis ratio, facile nos apud Serenitatem Vestram excusabit. Nam cum Serenitatis Vestrae literae, sub hebdomadam sanctam <sup>5)</sup> nobis redderentur ac tempus feriae Paschalis, locum autem Stettinij futuro conventui proponerent, nec de intercessorum, tam optatorum eorundemque eam in rem consilio et voluntate mentionem ullam facerent, ideo Illustritibus ipsorum ulteriorem declarationem expectandam potius, quam legationem eam, ea in rerum incertitudine, alias frustratoriam, decernendam aut quicquam a dignitate nostra alienum iam statuendum esse, existimavimus.

Quod quidem, ut Serenitas Vestra in bonam partem fraterne accipiat, eam amanter rogamus, certoque sibi persuadeat, sicut Ill-tatum ipsorum cognitionem, si ea opus sit, in negocijs istis pro parte nostra minime defugimus, ita quamcunque amicitiae ac necessitudinis cum Serenitate Vestra conservandae firmandaeque occasionem semper nobis fore gratissimam.

*In dorso:*                    Ad regem Poloniae  
   sub dato

Friderichsburgi, 14 Aprilis anno [15]72.

a) *verba de consilio nostro addita in margine.*

1) *Vide nr. 87.*

2) *Scil. die 29 Martii 1572.*

3) *Scil. Augustus.*

4) *Scil. Ioannes Georgius.*

5) *Scil. inter 30 Martii-6 Aprilis 1572.*

## **TABULAE**



8

Sigmundus dei gratia Rex Polonie : magnus dux Lituanie, Ruffie, Prussie, Masovie etc<sup>o</sup> dominus Et  
 hares. Serenissimo principi domino Christiano eadem gratia etiam Et Norvegie Regi. duci Slesmii, Holsatie,  
 Stormarie, Ostmarie. comiti in oldenburch et reismanhorff. amico Et affini nro charissimo. salutem et omnem  
 felicitatem. mutuaque nri amicitie continuum incrementum. Ser<sup>mo</sup> princeps et domine amice Et affinis nobis  
 charissime. Memimus urgente Illustri domino Alberto in Prussia duce nepote nro charissimo nomine. A<sup>us</sup>  
 vna nos scribere Imperatoria. n<sup>o</sup>. vi. Ill<sup>o</sup> domini Palatinum Rhem ab armis contra A<sup>us</sup>em vram su-  
 mendis deterret: ac pacificandis vtriusque animis studeret. A qua re minime A<sup>us</sup>em eius accepimus  
 abhorret: sed vtrius partis culpa factum sit ut pax nihilominus non coerit, satis exploratum no-  
 habemus. Ea autem nunc sunt tempora, ut si vnaquam antea, nunc vel maxime conciliatos christi-  
 anorum Principum omnium animos, neque impedimento quocunquam esse oporteat, quo minus a vna  
 culenta rabie, potentissimi eras christi hostis, visa fortunatque christianorum valido exercitu  
 defendatur. Cui tam pio conatu si quis obviare conatus sit, is pessime de Republica Christiana  
 mereatur. Nos vero ita nobis persuademus de A<sup>us</sup>te vna quandocumque ipsius nomine nobis pri-  
 mum auctor fuit, Ill<sup>o</sup> dominum Prussie duce ut partes nras interponeremus, quo aut pax cofici,  
 aut saltem prorogari possent mdnae: eam in suscepta semel sententia permanere: neque aliud  
 magis quam pacem cupere: usque tanto vehementius quod Rempublicam Christianam summum  
 in periculum adductam esse proculdubio non ignorat. Quinobrem minime necessarium putamus  
 eam oratione nra cohortari, ut quam ad rem sua sponte satis esse propensa videtur, quicquid po-  
 tuis consilia sequatur, quam in amicationem aliquam descendat. Quoniam vero nri quoque ho-  
 mines, veriti ut hac estate fuit esse queat nuptatio. supplices a nobis petierunt, ut reconciliandis  
 A<sup>us</sup>is vna, Et Ill<sup>o</sup> domini Palatinum Rhem animis operam daremus: nos non modo ut privatae  
 eorum commodis, pro eo ut facere debemus, prospicere possemus: verum etiam nullo magis,  
 ut publica christiani orbis vtilitas consuleremus, non gravatum id nos facturos recep-  
 imus. Quare A<sup>us</sup>em vram currentem licet hortamur, utque ab ea petimus: ut si nondum  
 inter eam Et Ill<sup>o</sup> dominum Palatinum concordia facta est, adhuc tamen consilio prius  
 omnia quam armis velit experiri: Et aut pacem perpetuam, aut saltem aliquot annorum  
 inducias suscipiat: quo neque nrorum hominum cursus maritimus: neque prius christiano-  
 rum principum in tuendo Imperia Regno conatus impediri possint. Perimebit hoc ad laudem  
 et gloriam A<sup>us</sup>is vna, si se ad equitatem deduci poterit. Nobis vero gratissimum id  
 fuerit: ac toti Respub<sup>l</sup>ica christiana cumprimis commodum Et salutare. Cupimus A<sup>us</sup>em  
 vram diu Et feliciter valere. Vilna xxviii<sup>a</sup> Aprilis A<sup>o</sup> dm<sup>o</sup> 11<sup>o</sup> 15<sup>o</sup> 1552<sup>o</sup>  
 Regni nri anno xxxvi<sup>o</sup>.

Sigmundus Rex ft.

**S**IGISMUNDVS AVGVSTVS DEI gratia REX Poloniae magnus DVX  
 Lituaniae Russiae Prussiae Mazoniae Samogitia etc. Dominus et Haeres. **SER**mo Principi Do-  
 mino FRIDERICO Secundo DEI gratia Danorum Noruegorum. Sclauorum Gotorum REGI.  
 DVCI Slesuici Holsatiae Stormariae ac Dithmariae Comiti in Oldenburgo et Dämenhorst. Fratri et Affi-  
 ni nostro charissimo. SALVTEM prosperosq; rerum omnium successus. **SER**mo Princeps Frater &  
 Affinis noster charissime. **R**edidit sunt nobis litterae à **SER**mo te via, quibus nobis significauit Episcopi  
 Osiliens. se se eo Epätu abdicasse atq; eius successionem Illmo Principi Domino Magno Haraldi Noruegiae Sles-  
 uici etc. Duci Fratri Seruis uestra summis ordinum suorum studiis tradidisse. Itaq; Illtem eius profectam in Li-  
 uoniam esse ad eius ipsius Epätus possessionem capiendam. Quo quidem nuncio plurimum laetitia ac uolupta-  
 tis cepimus idq; tum quod pro nostra uestra cum **SER**mo te uestra. vniuersaq; illius domo coniunctione ac neces-  
 situdine omnibus eius fortunis atq; honori ex animo fauimus tum quod non dubitemus Illtem eius. Liuoniae  
 in hoc ipsius afflictio statu permultum opis atq; presidii adferre posse. Itaq; plurimum hoc nomine Illi eius  
 gratulamur precamurq; ut ea res illi. subditis totiq; Liuoniae bene ac feliciter cueniat. Quod porro **SER**mo te  
 uestra nobis Illtem eius commendat subenter daturi operam sumus ut Illtas eius in omni ratione cuncta officia  
 coniunctionis et necessitudinis uestra precepta sibi ex uobis paratq; semper esse intelligat id tantum cum primis  
 uellemus ut quoniam Liuonia in fidem et clientelam uestram suscepta per nos est. Illtas eius omnia consilia om-  
 nesq; rationes. quae ad publicum illius statum tuendum pertinebunt uobiscum communicet ac de eis ad nos re-  
 ferat quarum quidem si e communi sententia instituta administrataq; erunt commodiorem progressum euentuq;  
 fore confidimus. quod quidem Illtem eius et sponte sua et in primis **SER**mo te uestra autere facturam atq; omnia  
 ad communem harum Reuinciarum statum uendum sedulo prouiduram suscepturamq; esse non dubitamus.  
 Tandem **SER**mo te uestra satietate ualere cupimus. Datum Vlnae decima die mensis May Anno Domini  
 M. D. sexagesime Regni uestri anno trigesimo primo.

Sigismundus Augustus  
 R. S.



**S**IGISMUNDVS AVGVSTVS DEI GRA REX Polonie marquis et rex Lithuaniae Russiae Prussiae Masoviae  
 Sarmatiaeque de Danibus et Hatis. Serenissimo Principi domino Frederico secundo eadem gratia nuncus vocatus Vandalorum et Go-  
 thorum Regi duci Slesuiae Halandiae Suiemarum ac Dithmariae comiti in Oldemburg et Delmenhorst fratri legitime et federa-  
 to modo charissimo Salutem ac mueri amoris continuum incrementum. Serenissime domine frater affinis et federate michi  
 rissime. Antiquis adhuc literis serenitatis vestrae de legatione Iulianae Comitiariae Ducum ad pacificationem cum Sueco constituta  
 composita accepimus miserentis ad Serenitatem vestram Cubiculariam primum cum literis quibus scribitur in vestris significabatur. Sicut  
 quous consimilem legationem apud nos fuisse. que cuiusmodi fuerit aut quando a nobis accepta. et de prelo sit omnia perscribi  
 Serenitatis vestrae iusseramus. que quidem omnia iam procul dubio Serenitatis vestrae ex vestris misit conceperit. Nunc cum literas a Serenitate vestra accepi-  
 mus. adierunt nos quod Legati ipsi Pomeraniae nomine Principum suorum ad pacem nos ad armis recedentes. et ad eam  
 operam Principum ipsorum prolixè sollicitantes. Quae sane legatio eadem a nobis animo accepta est. quo videmus a Serenitate vestra  
 acceptam fuisse. Sicut enim ad bellum militi plane defendendum. ita deponendi illius nullam nec habentis occasionem  
 honestam delectationem nec denique delectationem summa. Haec enim nihil nec rebus Christianorum commotionem excedit. nec  
 regio ordo nominis convenientius esse arduatur. bello aut nihil se diuis. quoties absque eo dignitas et regna ac salus populo-  
 rum teneri potest. Ita sane et etiam si eo superiores essemus. tamen illud prouideri nequaquam posse videretur. quo minus. sed  
 cum eo male arg. modocia in Regibus plurima aducantur. Itaque quod nos quidem altmet. esse de omnibus rebus ex his lit-  
 teris. quae a Serenitate vestra ad nos literas exspectamus. certius statuere poterimus. tamen sicuti et semper contra animam suam  
 et hoc tempore apud Pomeranos ipsos. Seniores et Doctores professi sumus nos a pace benevolentia alienos nec fuisse nos. nisi  
 denique fore. ita nunc quod apud Serenitatem vestram proficiamus. si qua eiusmodi pacis spes affensa nobis fuerit. que cum digni-  
 tate tam nostra quam Serenitatis vestrae. cuius nos quod rationem non minore. quam nostra ipsius ducimus. coniuncta fuerit. quibus a libera-  
 te et comodis populo rum nobis subiectorum nec sit aliena. cum nos pacem repudiatores non esse. praesertim si oportuno tempore  
 literas ad eam constitutendam omnibus ex quo idonea fuerit designatus. Quo quidem in genere cum Christianis quam primum  
 Suedi commodis sibi fore certauerunt. nondum a contra rationis periculo plane in libertatem nos. Rationibus  
 auti serentiam oportuissimum esse iudicamus. quomodo cum hoc et reliqua Serenitatis vestrae. ex hoc acceptis responsibus  
 vestris quam ad legationem Pomeranicam de bonis. Aetherius conceperit. Quomodo quibus veteri capitis. namque Pomeraniae die xvii  
 mensis Aprilis anni domini. m. cccc. lxxviii.

Sigismundus Augustus  
 Rex

**S**IGISMUNDVS AVGVSTVS Dei gratia Rex Poloniae magnus p[ro]p[ri]e Lithuaniae  
 Russiae Prussiae Masovia Samogitia, et Dominus et Haeres. Se anno 4. noi[em]bris anno Frederico re-  
 gis eadem gratia Danie, Norvegiae, Islandiarum et Gotia regis, Ducis Silesia, Moraviae, Stirariae ac  
 Carinthiae, comiti in Oldenburg et Delmenhorst, fratri et affini suo confederato charissimo salutem  
 et fratrem amorem ac omnes felicitates continuas mereantur. Serenissime Princeps, d[omi]ni frater, amice et co-  
 faederati in christo. Nescit ad nos nobilis Michael Brumo Secretarius n[ost]r[us] a Silesia via cum responso.  
 Cuius quidem responsi sententia omnem tenemus ad quia postea, de p[ro]p[ri]etate consilij nisi sententia, quod  
 ad comitum, quod post dies aliquot auspiciari sumus, obruentur. Et Silesia via respondemus. Quia tan-  
 tummodo, quomodo in hac Xaruaica navigatione, de qua m[er]itanda totus iam cum Silesia via agimus, a quibus  
 magna non solum regi et domini n[ost]ri, sed etiam ipsius Silesia via, et multo Christianorum regum  
 ac Principum rationes, patere non potuimus, quin Silesia via aliquid periret; ut intelligat sane, quomodo  
 perire ea res tum nobis ipsis, tum omnibus Christianis regibus, imprimis autem ipsi populo, qui via Balticis  
 istius maris accollunt, merito cura esse debeat. Erimus autem in ea quoque re co[m]muni, quo magis ex  
 responso Silesia via intelligimus, ipsam quoque Silesiam viam, pro sua prudentia, multa in hac navigatione  
 pericula amandare, re, quibus facta esse facile nobis persuademus, ut ea deliberatio, toto hoc belli  
 tempore, Silesiam viam periclitam, ut ipsa aut, et antipetam tenuerit. Itaque cum ad ea d[omi]nare paucis  
 responderimus, quibus ad consilium permittenda eius navigationis vocari se et mutari Silesia via proficere,  
 reliqua prudentia ipsius ac Consiliario[rum] ipsius, amoris, et pietatis in comunem semp[er] Christianam  
 committens. Sane prima om[n]i satis constat, Moscum, veterem ac perpetuo suo instituto, hostem esse om-  
 nium ac populorum, quas neque superstitionis sua obnoxias, neque tyranni subiectos esse videt. Id  
 adeo constare inter res, illud manifestum indicium est, quod et Silesia via, et Casp[ia] ipsa actus, et ceteri  
 Principes liberi atque Christiani, etsi navigationem Xaruaica non in vniuersa sustulerint, tamen armamen-  
 torum omnis generis, cat[er]arumque, quibus potentia eius hostis inuari posse crederent, importatione in  
 Moscoviam, seu vniuersis edictis prohibitis interdixerunt. Tum autem praeterea, quod, etiam si edicta  
 Principum nulla in hoc genere intercessissent, nemo tamen, nisi quidem sententia, tam proiecta ac de-  
 plorata cupiditatis mercator futurus esse videatur, nisi propter insamiam, quem ab importandis  
 armis in ditionem non satis sua ipsius virtus, suaeque profectio Christiana ab instituto reuocet atque  
 cohibeat. Quae res planissime conuenit, hostem hunc ab omnibus iudicari. Quod autem a ceteris mer-  
 catoribus, non aique ut ab armis, ad eum importandis abstinetur, immo a primatis quidem, licet illi  
 causa fieri Silesia via intelligit. Principes autem cum ea pericula, quae aliquando absunt ad huc lon-  
 gius, parum ad se existimant interea pertinere, faciunt, ut alijs quidem ipsi facultate Xaruaica na-  
 uigandi permittant, alijs autem a Silesia via permitti postulent, quorum vtrumque, ut huiusmodi dicimus,  
 ad animo profecto nimis securus, et rebus primatis ad tempus exiguum, magis quae committunt ad  
 perpetuam, ut oportet, consulente proficiant. Videt igitur Silesia via, quae exequam vim  
 apud eam habere debeat illa, quibus se, ad permittendam aut dissimulanda saltem eiusmodi  
 navigationem, scribit mutari, postulata nempe vicinorum regum ac principum, et factus ipsius

Sitas vna cum Mosco ictum, et fadere nostro per Sitem vram exceptum. Nam postulata quidem  
 iure solo mituncur; quod si est, ut est, a nationibus recipi. Christiana totius alienissima, pro  
 damno potius q̄ lucro duci ab omnibus deberet: fadus autē Sitis vna, quod sibi in pactis nris ce-  
 cipendum esse putauit, aliam, ut nos quide existimamus, vni habere non potest. q̄ ut ne cogatur  
 nobis Sitas vna aduersus Moscum auxilium ferre, si id ab illa forte exigeremus, quod non exi-  
 gimus. Ut autem illu aduersus nos armet, et suis prope manibus instruat, aut armari etiam  
 et instrui ab alijs permittat, neq; id, cum possit, mibeat, id vero facere, fadere ipso Ausonio  
 profecto non cogitur. Quid enim: an vero Sitas vna ut fadere suo privato obsequat; alet, et  
 armabit, sciens et volens, hanc comunem omn liberoru populoru, et eorum, qui sunt cum Sita  
 vna comunibus, necessitudinu, vicinitatu, fadere etiam, et quod sumum est, comunis ipsius reli-  
 gionis vniculis sociati? Equidem non dubitamus, Sitem vram intelligere, si is, qui terrestribus  
 alijsq; praelys tantu hactenus valuit, q̄ntum Sitas vna non ignorat, in mare aliquo vestigiū  
 posuerit, illectus oportunitatibus nauitinis, quas profecto plenis iam quotamodo labris gustare  
 incipit, q̄nto is demum formidabilior vniuersa isti Septentrionis ora mineat. Cum em artifices  
 iam complures, hoc aditu pacisfacto, nactus sit, et nisi hui aditus pracludatur, plures etiam  
 in posterum nauicula possit: cumq; praerea omni materia ad naues extruendas, et quod opus  
 sit ornatas, admodu abundet, cu demq; populis suis, vti incipis, ad omia imperata expeditis vta-  
 militem mercenariu nullu desideret, postremo vero cum ex literis, qua quominus, si nauigatio  
 permittatur, vltro citroq; ad eum perferant; prohiberi no possit, de omnib nris et omi negocijs, no  
 possit no fieri certior, nimiu etiam si tam callidus et tam veteratq; q̄ est, non esset, tamen pro-  
 fecto tam dementem fringere no possumus, quin eum hac emodis et materiei, et artificum,  
 et populoru suoru, et maris atq; portu, et demq; temporis ipsius atq; occasiois comoditate tam  
 miseri vsurum esse credamus, ad imperium suum, quod tota mente robuare dicitur, dilatandum,  
 et delendum, quod absit, ac extinguedu nomen religionis, libertatis, fortunarumq; nostrarum.  
 Ut nobis sane et bene vidisse, et prudentissime sanasse videant; ciuitates ipsa Ansea, qua  
 nauigationem hanc Naruicam, decreto suo comun, cum omni prosus comercioꝝ genere disca-  
 sustulisse. Atq; hac quidem pericula qua dicimus, omi sunt comunia: nisi quod adhuc ce-  
 longinquo tam bene eam ab omnibus ac videri non possunt, q̄ conuincunt a nobis in hac vici-  
 nitate, in qua vni maiores nri, nasq; ipsi etiam, arma eius hostis, qua hactenus non erant  
 tanto pege externis praesidijs et artibus munita ac instructa, armis nostris per dei gratiam su-  
 stimimus, nec, quod in nobis fuit, pedem cum in has oras, vltra terminis dilectionis ipsius proferre  
 passi sumus. Illa autem nra sunt vltimisq; non solum propria, sed etiam praesentia pericula,  
 quod ex comercijs istis Naruicis, succus etiam ipse hostis noster, facile omniu comoditatum  
 fit particeps, tum propter vicinitatis et maris ipsius oportunitatem, tum propter amicitiam  
 et societatem, qua illi, non minus q̄ Sita vna, cum Mosco intercedit. Equidem illud pro  
 certo ac composito Sita vna scribere possumus, succum, nisi aliquoties eius comectus particeps

factus esset, qui & aruam est deductus, ipsorum etiam subditorum suorum nimis atq; clamoribus  
 conuictu, ad conditiones pacis iam pridem descensurum, pacemq; ipsam à nobis petiturum fuisse.  
 Magnam em̄ rem ad victu necessariam penuriam, rusticitas illa, cui soli propemodum succus  
 dominari dicitur, amplius ferre iam non poterat. Quae cum ita sint, Comuibus potius istas  
 via periculis moueatur, q̄; prinatorum lucris studeat: et si aliena pericula, quod minime  
 credimus, negligit, suis saltem ipsa prospiciat, navigationemq; hanc rariora perditiones  
 suas, cum omni propeus mercium genere, tandem in omnemq; prohibeat: neq; comitatur, ut vel  
 nunc iam hostem suum Svecum, ad hanc contentiosam armorum disceptatione diuitis admisse,  
 vel in posteru Suesum ipsum, ad comune om̄ viciniam et liberam gentium exitum armarisse  
 videatur. Quod si enim navigatio hanc libera Mosco diuitis patuerit, quid erit per deam  
 mortalem, quod cum ab occupandis omnibus circumiata regnis et ciuitatibus possit impediri?  
 Eandem enim viam sine negotio releges, quam ad se nauibus suis patere cernit, tum ante  
 instructus artificibus suis omni generis, et factus ea, quod dicitur et potentia, ac ferocitate  
 suorum, omnia populabitur, et, quod deus omen auertat, magis claudibus humanitate afficiet. Id  
 si caeteri reges et principes christiani intelligunt, iam nunc profecto rebus comuibus con-  
 sultare debent: sin minus intelligunt, nobis saltem crederent, qui ex propinquo omnia car-  
 tibus inueniunt. Quae interim ista via, ita vti se habere custodiamus, significata esse  
 diximus; eamq; ad complectenda temporis temp. et ad hanc navigationem inhibenda, pro offe-  
 nostro et mutua societate ac beneuolentia, aduocari, vti facimus, volumus. Bene valere  
 saltem vram cupimus. Dat. Lublini xxix Aprilis. Anno Sm̄. ac. o. Lxxvi.  
 Regni vero nostri. xxxvii.

Sigismundus Augustus  
 & Rex Pol.



Sigismundus Augustus Dei gratia Rex Poloniae magnus dux  
 Lithuaniae Russiae Prussiae Masoviae Samogitiae & dominus  
 hares. SERENISSIMO principi domino Friderico secundo eade  
 gratia Danica Noruegiae Vandalorum et Gotthorum Regi. Duci  
 Silesitiae Holsatiae Stormariae ac Dithmarisiae. Comiti in Oldem-  
 burg et Delmenhorst, amico fratri et confederato nostro charissimo  
 salutem et fraterni amoris, ac omnis sollicitatis continuum in-  
 crementum. SERENISIMO principi amico frater et federate  
 noster charissime. Intelleximus non medicum animi nostri  
 molestia sacerdotum quos SERENISSIMA Svecica Regina sorori  
 nostra charissima non multo ante sacerdotum procurandorum  
 causa misimus, à Speculatoribus SERENITATIS vestrae captos ac  
 indigni tractatos ad hoc usque tempus in vinculis detineri.  
 Quia res cum à amicitia nostra multum et rationi pacatorum  
 ac federum aduersetur. Postulamus à SERENITATE vestra ma-  
 iorem in modum, ut Sacerdotes praedictos non tantum liberi  
 in Sveciam cum rebus eorum omnibus dimitti iubeat  
 sed etiam ne eisdem quidquam impedimenti atque molestiae  
 in posterum exhiberi permittat. Erit hoc nobis à SERENITATE  
 vestra gratissimum. Et ad conservandam manum mutuam ami-  
 citiam accedendum. Quod reliquum est SERENITATI vestrae  
 optimo valetudinem ac prosperos in nosque successus à deo  
 Optime precamur. Datum Varsaviae die XIX  
 mensis Januarii. Anno domini M<sup>o</sup> D<sup>o</sup> LXX<sup>o</sup>  
 Regni nostri anno XI.

Sigismundus Augustus  
 Rex



## **REGESTA**





N. 1

*In arce Marienburgensi,  
23 Iulii 1526.*

*Sigismundus I rex Poloniae,  
ad Fridericum I regem Daniae,  
intercedit pro mercatore suo Ioanne Ostendorf, qui solutionem debitorum a quibusdam subditis Danicis, licet saepe admonitis, assequi non potest.*

*(Orig., sig. vestigia)  
T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 2

*Cracoviae, 30 Decembris 1527.*

*Sigismundus I rex Poloniae,  
ad Fridericum I regem Daniae,  
rogat, ut Fucaris [Fugger], fratribus Augustae Vindelicorum, merces, submersae in naufragio prope Jutland, ex fundo maris elatae et per officiales regios detentae, restituantur.*

*(Orig., sig. vest.)  
T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 3

*Cracoviae, 17 Maii 1539.*

*Sigismundus I rex Poloniae,  
ad Christianum III regem Daniae,  
rogat auxilium contra Turcos.*

*(Orig., sig.)  
T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 4

Vilnae, 28 Aprilis 1542.

*Sigismundus I rex Poloniae,  
ad Christianum III regem Daniae,  
rogat ut cum palatino Rheni pacem conficiat, ut Christianos contra Turcos  
adiuvare possit.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 5

Vyburg, 3 Iunii 1542.

*Christianus III rex Daniae,  
ad Sigismundum I regem Poloniae,  
respondet ad litteras de pace instituenda cum Friderico II palatino Rheni  
et de sustinenda prohibitione navigationis per sua maria.*

*(Minuta vel exemplar)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 6

Petricoviae [Piotrków], 25 Augusti 1547.

*Sigismundus I rex Poloniae,  
ad Christianum III regem Daniae,  
de negotiis diplomaticis cum Carolo V imperatore.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 7

In arce Marienburgensi, 7 Septembris 1552.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Christianum III regem Daniae,  
rogat, ut tres naves Hamburgenses, mercibus et bonis onustas et in portu  
Oeresundt pignoras civibus Gedanensibus reddi iubeat.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 8

*Brzeschie Lituanico [Brześć Litewski], 4 Maii 1554.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Christianum III regem Daniae,  
postulat, ut civibus Gedanensibus privilegia, obtenta a regibus Daniae,  
salva et integra conservet, neque hominibus suis quicquam de immu-  
nitatibus eorum detrahere permittat.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 9

*Vilnae, 25 Aprilis 1556.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Christianum III regem Daniae,  
ut tamquam protector archiepiscopatus Rigensis Melchiori Kirchow, civi  
Rigensi, qui a senatu Rigensi multas iniurias passus est, auxilium et  
protectionem praebet.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 10

*Varsaviae, 7 Octobris 1556.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
Christianum III regem Daniae,  
admonet, ut tamquam co-protector archiepiscopatus Rigensis communi-  
ter interveniat in rebus Livonicis, ad pacem restituendam inter ar-  
chiepiscopum Rigensem Wilhelmum et Gotthardum Kettler Magis-  
trum, Ordinemque Cruciferorum in Livonia.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 11

Vilnae, 16 Martii 1560.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
postulat, ut prohibeat, ne civitates Lubeca et Hamburg classem in Moscoviam deducant; offert officia sua ad componendam pacem cum rege Sueciae.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 12

Vilnae, 10 Maii 1560.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
gaudet de translatione episcopatus Osiliensis a Ioanne Munchhausen in principem Magnum, ducem Slesvicensem.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 13

Vilnae, 2 Ianuarii 1561.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
dolet de statu Livoniae post recentem cladem; urget, ut fratrem, ducem Magnum ad pacem cum Ordine et ad cooperationem cum aliis principibus inducat; admonet ad supprimendam audaciam Moscovitarum, qui occupationem totius Livoniae intendunt.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 14

Vilnae, 2 Februarii 1561.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
rogat, ut Ulrichum Linck, civem Augustanum et eius comparticipes in contribuendis a cupro theloneis eo iure uti permittat, quo tempore regis Christiani III fruebantur.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 15

Vilnae, 7 Novembris 1561.

*Sigismundus Augustus, rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
ut Eberhardum Ducker, civem de Parnavia in Livonia, in recuperatione  
pecuniae, quam olim episcopo Osiliensi Ioanni Munchhausen, prae-  
decessori ducis Magni mutuo praestitit, adiuvet.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 16

Vilnae, 26 Iunii 1562.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
Reimpertum Gilsemium, a se missum, accreditat.*

*(Orig., sig. vest.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 17

Vilnae, 31 Maii 1563.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
diem et locum conventus commissariorum suorum cum commissariis regis  
Daniae statuit.*

*(Orig., sig. vest.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 18

Vilnae, 13 Iunii 1563.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Franciscum Russocki, Gabrielem Grabowiecki et Michaelem Brunnow  
eos commissarios in negotio cum rege Daniae constituit.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 19

Caunae, 5 Iulii 1563.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de bello contra regem Sueciae*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 20

Vilnae, 14 Augusti 1563.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
Friderico II regi Daniae,  
de bello contra regem Sueciae, deque rumoribus de pace separata inter  
Danium et Sueciam*

*(Orig., sig. vest.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 21

Vilnae, 23 Augusti 1563.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
nuntiat, se maritimis civitatibus facultatem dedisse debellandi naves  
Suecorum praedamque agendi; commendat Wąsowicz et Szerpingum  
(Orig., sig. vest.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 22

Vilnae, 16 Octobris 1563.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
postulat, ut navis civium Gedanensium Gregorii et Mathiae Gade ad usus  
bellicos detentam iisdem civibus restituatur.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 23

Varsaviae, 5 Decembris 1563.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de duce Ioanne Finlandiae deque eius uxore Catharina Jagellonica*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 24

Varsaviae, 10 Decembris 1563.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de mutua societate cum eo stabilita, de Christophoro duce Megapolensi et  
Ioanne a Tęczyn, captivis*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 25

Varsaviae, 28 Decembris 1563.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de bello contra Sueciam; de duce Megapolis et duce Finlandiae*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 26

Varsaviae, 13 Aprilis 1564.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
postulat, ut merces a ministris regis detenta et pignorata mercatoribus  
Rigensibus J. Vithniek, M. Koy, C. Hymmerman et A. Boberow resti-  
tuatur.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 27

*Knischyn [Knyszyn], 14 Maii 1564.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
rogat, ut merces e Suecia evecta et per praefectos regios in portu Gottlan-  
diae Visby depraehensa mercatoribus Gedanensibus J. Brandes et  
H. Spemann restituatur.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 28

*Bielsko, 31 Maii 1564.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de induciis inter Gotthardum Kettler, ducem Curlandiae et Magnum, du-  
cem Holsatiae*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 29

*Bielsko, 10 Iunii 1564.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de prospectato bello contra Sueciam*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 30

*Knissin [Knyszyn], 10 Septembris 1564.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de suis negotiis cum nuntiis regis Sueciae*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*



N. 31

*Knissin [Knyszyn], 13 Septembris 1564.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de civium Lubecensium ac magistri Ordinis Teutonici cum Moscovia ma-  
chinationibus*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1. †*

N. 32

*Ticocinii [Tykocin], 19 Septembris 1564.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de rebus Livoniae et de negotiis cum Maximiliano II imperatore*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 33

*Petricoviae [Piotrków], 17 Novembris 1564.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de legationibus Pomeranorum et Suecorum, pacem petentibus, deque loco  
ad eam negotiandam apto*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 34

*Petricoviae [Piotrków], 16 Novembris 1564.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad legatos ducum Pomeraniae  
respondit ad eorum mediationem in re pacis cum rege Sueciae  
(Exemplar)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 35

*Petricoviae [Piotrków], 17 Novembris 1564.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de navigatione mercatorum versus Narvam deque eius exoptata interdictione*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 36

*Petricoviae [Piotrków], 16 Ianuarii 1565.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de occultis negotiis consiliariorum regis Daniae cum Suecis, de civibus  
Lubecensibus, de concedenda libera navigatione navibus « salvo con-  
ductu » regis Poloniae munitis*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 37

*Petricoviae [Piotrków], 26 Ianuarii 1565.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
rogat, ut arma bellica Hafniae capta, mercatoribus Gedanensibus H. Meier  
et G. Niderman restituantur*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 38

*Petricoviae [Piotrków], 6 Martii 1565.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de rege Erico et eius suspecta intentione ad pacem; de negotio cum  
nuntiis ducum Pomeraniae; de iusta detentione navium mercatorum,  
qui in Sueciam navigare solent.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 39

*Petricoviae [Piotrków], 13 Aprilis 1565.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de navigatione Narvica; de difficultatibus Lubecensium et Hamburgensium;  
de marchione Badensi et de liberatione ducis Finlandiae Ioannis.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 40

*Grodnae [Grodno], 8 Augusti 1565.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de monitione marchioni Brandenburgensi et duci Megapolensi facta, ut  
pacem cum rege Daniae servant; de rebus Livoniae, Valachiae et  
Moscoviae*

*(Orig., sig. vest.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 41

*Knissini [Knyszyn], 20 Iulii 1565.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de pacificatione cum Suecis oratore regis Galliae mediatore; de navigatione  
Narvica; de bello cum Moscovia parando; de periculo ex parte Turcorum  
avertendo et de auxiliis principum Christianorum expectandis.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 42

*Grodnae [Grodno], 10 Septembris 1565.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
petitionem alicuius civis Gedanensis praesentat et commendat*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 43

Vilnae, 7 Decembris 1565.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
approbat omnia, quae hactenus in causa pacificationis cum rege Sueciae  
Erico per interpositionem principum nacta sunt.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 44

Vilnae, 29 Ianuarii 1566.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
dubitat de sinceris intentionibus regis Erici ad pacem; de necessitate  
consensus principum Christianorum ad tractandam pacem et de idoneo  
loco ad eam negotiandam.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 45

Vilnae, 30 Ianuarii 1566.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
Nicolao Nicolai versus Narvam naviganti restitutionem navis et mercium  
negat; exponit rationes societatis belli inter reges conclusae.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 46

Vilnae, 2 Februarii 1566.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de eadem re*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 46 a

Lublino, 28 Aprilis 1566.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
ut memor veterum et recentium pactorum civibus Gedanensibus liberam  
navigationem per portus Danicos concedat.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 47

Lublino, 29 Aprilis 1566.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de sustinenda prohibitione navigationis Narvicae, ne per importationem  
armamentorum potentia Moscici augeatur; ne etiam rex Sueciae com-  
moditatum ipsae navigationis particeps fiat; quaerit, quid Moschum  
ab invasione vicinorum regnorum possit impedire, si navigatio Narvica  
libera ei patuerit.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 48

Lublino, 2 Iulii 1566.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de prospectata pace cum rege Sueciae, de defensione Livoniae, de fide pac-  
torum servanda*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 49

Hafniae, 1 Maii 1566.

*Fridericus II rex Daniae,  
ad Sigismundum Augustum regem Poloniae,  
de nuntiis regis Galliae; de separata pace sibi a rege Sueciae proposita;  
pro suis subditis in Livonia intercedet*

*(Minuta).*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 50

Lublina, 20 Iulii 1566.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
significat receptionem litterarum per S. Loicz missarum; de equis aliquot  
in Daniam missis.*

*(Orig., sig. vest.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 51

Lublina, 3 Septembris 1566.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
rogat, ut pannos Londinienses, spectantes ad cives Gedanenses J. Brandes  
et M. Zimmerman et in Sundo praehensos, restitui faciat.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 52

Varsaviae, 26 Septembris 1566.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
exponit rationes et conditiones conventus pro tractanda pace cum rege  
Suecorum Erico.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 53

Hafniae, 18 Octobris 1566.

*Fridericus II rex Daniae,  
ad Sigismundum Augustum regem Poloniae,  
de Suecis in Osilia; de rebus Livoniae; de Parnavia duci Magno tradenda.*

*(Exemplar)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 54

*Knissini [Knyszyn], 25 Ianuarii 1567.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
percrebrescentibus rumoribus de conventu inter reges Daniae et Sueciae,  
recordatur conditiones suas ad tractandam pacem cum rege Erico et  
monet, ne se a fide foederis abduci patiatur.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 55

*Knyschynii [Knyszyn], 25 Februarii 1567.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
nuntiat se recepisse litteras de Osilia per Suecum depopulata, se iam mi-  
sisse Ioannem Chodkiewicz ad defendendam Livoniam.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 56

*Petricoviae [Piotrków], 10 Iunii 1567.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
quaerit, ut naves per speculatores maris captas et per praeffectum Gottlan-  
diae ereptas restitui iubeat; ut navigationem in terram hostilem prohi-  
beat, neque navigatoribus litteras passus tribuat.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 57

*Ravae [Rawa], 17 Iunii 1567.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
significat, se captivum ducem Megapolensem Christophorum sub certis  
conditionibus liberaturum; de rumore conventus inter commissarios  
Danicos et Suedicos*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 58

*Knyszyni [Knyszyn], 4 Iulii 1567.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
rogat ut Nicolao von der Linde naves in Sund pignorate restituantur.  
(Orig., sig.)  
T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 59

*Radoszkowicze, 15 Decembris 1567.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
quaerit, ne ducem Curlandiae Gotthardum Kettler, bello exhaustum, de  
debita pecunia urgat.  
(Orig., sig.)  
T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 60

*Kojdanów, 9 Ianuarii 1568.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
postulat, ut navigationem Narvicam prohibeat, ne potentia Moscoviae  
augeatur.  
(Orig., sig.)  
T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 61

*Knissini [Knyszyn], 15 Februarii 1568.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
iterum quaerit, ut duas naves spectantes ad Nicolaum von der Linde, civem  
Thorunensem libere dimitti iubeat.  
(Orig., sig.)  
T.K.U.A. Polen. A.I.1.*



N. 62

Varsaviae, 22 Septembris 1568.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de Ioanne, duce Finlandiae, qui regni Sueciae potitus est; rogat, ut cer-  
tum tempus ad inducias concedat et ducem Magnum ad servandam  
pacem admoneat; significat se duci Ioanni auxilia contra Ericum XIV  
misisse.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1. +*

N. 63

[*Friderichsburgi, 21 Ianuarii 1569*].

[*Fridericus II rex Daniae*],  
ad [*Sigismundum Augustum regem Poloniae*],  
de «*excubitoribus*» qui sub auspicio regis Poloniae navigationem in mari  
«*Sarmatico*» impediunt

*(Fragmentum exemplaris vel minutae)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 64

*Lublina, 15 Martii 1569.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
respondet de capto per speculatores maris oratore et navi, se speculatores  
maris ad prohibendam navigationem Narvicam instituisse et eos a  
iurisdictione Gedanensium exemisse; quaerit, ne illis, ut culpa vacuis,  
aliqua iniuria inferatur.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 65

*Lublina, 30 Martii 1569.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
intercedit pro civibus Gedanensibus, qui maximas iniurias et damna a  
praefectis Danicis passi sunt.*

*(Orig., sig. vest.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 66

Lublīni, 5 Maii 1569.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
intercedit pro civibus Gedanensibus, quibus praefecti Danici naves cum  
mercibus ademerunt et in usum bellicum instruxerunt: quaerit, ut  
negotiatores istos pro damno illis illato compensari iubeat.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 67

[*Gedani, ante diem 30 Martii 1569*].

*P. Francke et consortes cives Gedanenses,  
ad Sigismundum Augustum regem Poloniae,  
supplicant, ut eos contra oppressionem praefectorum in Sundo protegat et  
in recuperatione bonorum amissorum apud regem Daniae adiuvet.*

*(Exemplar)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 68

Lublīni, 10 Maii 1569.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de «excubitoribus maris» a se institutis, ut «navigationem Narvicam»  
prohibeant*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 69

Lublīni, 23 Iunii 1569.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de renovandis studiis ad perficiendam pacem cum novo rege Sueciae,  
Ioanne; civitates Stralsundium aut Stettinum ad conventum paci-  
ficationis proponit; de Parnavia et de Rigensibus et de Narvica na-  
vigatione prohibenda.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 70

Lublino 8 Augusti 1569.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
quaerit, ut speculatores maris a classe regis Daniae interceptos et Hafniam  
abductos compensatis damnis cum navibus et apparatu bellico liberos  
dimittat.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 71

[*Hafniae, 5 Septembris 1569*].

[*Fridericus II rex Daniae*],  
[*Sigismundo Augusto regi Poloniae*]  
*de « excubitoribus maris » regis Poloniae a sua classe captis; de naviga-  
tione Narvica, ab eodem rege prohibita.*

*(Fragmentum exemplaris vel minutae)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 72

[*Ex castris ad Helmstadium, 7 Octobris 1569*].

[*Fridericus II rex Daniae*]  
*ad [Sigismundum Augustum regem Poloniae]*  
*de « speculatoribus maris » regis Poloniae a sua classe captis; deque « na-  
vigazione Narvica » a rege Poloniae prohibita.*

*(Exemplar. Fragmentum).*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 73

*Knyssini [Knyszyn], 19 Octobris 1569.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de pacificatione inter reges Daniae et Sueciae; de traditione Parnaviae; de  
navigatione Narvica et captis speculatoribus maris; de legatione Geor-  
gii ab Eden.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 74

Varsaviae, 19 Ianuarii 1570.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
rogat, ut sacerdotes ad Catharinam, Sueciae reginam et sororem suam,  
missos, causa procurandorum sacrorum, captos et in vinculis detentos,  
dimitti iubeat.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 75

Varsaviae, 20 Ianuarii 1570.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de pace regis Daniae cum rege Sueciae non conclusa; de sua mediatione;  
de rebus Livoniae; de ducis Magni cum principe Moscoviae machina-  
tionibus*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 76

Varsaviae, 12 Maii 1570.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de commissariis mittendis ad pacis negotia inter reges Daniae et Sueciae*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 77

Varsaviae, 12 Maii 1570.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de negotiis pacis inter reges Daniae et Sueciae; de rebus Livonicis; de le-  
gatione Georgii ab Eden; de sacerdotibus ad reginam Sueciae missis;  
de consiliis ducis Magni cum duce Moscoviae.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 78

Varsaviae, 10 Octobris 1570.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de navigatione Narvica impedienda; de direptione navium speculatorum  
per classem Danicam; de damnis Gedanensibus illatis et reparandis.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 79

Varsaviae, 16 Martii 1571.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Ioannem Fridericum, ducem Pomeraniae,  
ut mediatores ad negotia pacis inter Daniam et Sueciam mittat*

*(Exemplar)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 80

Varsaviae, 26 Aprilis 1571.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de componendis reliquis controversiis in conventu Stralsundii; de libera  
navigatione subditis regni Poloniae praestanda et de navibus civibus  
Gedanensibus restituendis.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1. +*

N. 81

Varsaviae, 11 Septembris 1571.

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de invasione classis regis Daniae in portus Pucensem et Gedanensem*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 82

*Varsaviae, 11 Septembris 1571.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de litteris missis et expectatis*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 83

*Varsaviae, 15 Septembris 1571.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae  
universis  
de citatione ad iudicium suum Pauli Glossothen et aliorum speculatorum  
maris*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 84

*Varsaviae, 28 Septembris 1571.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae  
universis  
decretum in causa Pauli Glasaw, civis Gedanensis*

*(Exemplar)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 85

*Varsaviae, 6 Octobris 1571.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,  
ad Fridericum II regem Daniae,  
de detentione navium mercatorum Gedanensium ex Portugalia cum sale  
et preciosis mercibus revertentium in faucibus Oeresundicis; quaerit  
ut naves et merces restitui iubeat.*

*(Orig., sig.)*

*T.K.U.A. Polen. A.I.1.*

N. 86

[*Friderichsburgi, 24 Octobris 1571*].

[*Fridericus II rex Daniae*],  
ad [*Sigismundum Augustum regem Poloniae*],  
respondet ad querimonias concernentes necem speculatorum maris et saevitiam in Gedanenses; de navigatione Narvica et mercatoribus Ruthenicis.

(*Exemplar. Fragmentum*)

T.K.U.A. Polen. A.I.1.

N. 87

*Varsaviae, 22 Februarii 1572.*

*Sigismundus Augustus rex Poloniae,*  
ad *Fridericum II regem Daniae,*  
de speculatoribus maris a praefectis necatis; de navibus Gedanensium in faucibus Oeresundicis detentis; de Narvica navigatione: quaerit, ut Gedanensibus naves cum mercibus restitui iubeat, navigationem per Oeresundum permittat et ut conventus instituat ad componendas controversias.

(*Orig., sig.*)

T.K.U.A. Polen. A.I.1.

N. 88

[*Friderichsburgi, 14 Aprilis 1572*].

[*Fridericus II rex Daniae*],  
ad [*Sigismundum Augustum regem Poloniae*],  
respondet ad litteras datas *Varsaviae, die 22 Februarii* de excubitoribus maris et navibus civium Gedanensium per praefectos detentis, de traditione castri *Parnaviae* et de futuro conventu inter commissarios regionis Polonicos et Danicos instituendo.

(*Minuta*)

T.K.U.A. Polen. A.I.1.





## **INDICES**



## INDEX TABULARUM

Tab. I . . . . .	N. 4
Tab. II . . . . .	N. 12
Tab. III . . . . .	N. 35
Tab. IV-VI . . . . .	N. 47
Tab. VII . . . . .	N. 74
Tab. VIII . . . . .	N. 87



## INDEX NOMINUM PROPRIORUM

*Index indicat numeros documentorum, non vero paginas libri.*

### A

AABENRAA (Oppenrade), 32.  
AARHUS, v. Arhusium.  
ALBERTUS, Megapolensis dux, 24.  
— senior, marchio Brandenburgensis, in Prussia dux, 4, 6, 19, 21, 25, 39, 83.  
ALBUM MARE, Intr.  
ALDENBURG, v. Oldenburg.  
ANGLIA, Intr., 51.  
ANSEAE, Ansiaticae, Ansianae civitates (Hansa), 8, 39, 47.  
ARHUSIUM (Aarhus), 11.  
ARNELL S., Intr.  
ATTERDAG, v. Valdemarus.  
AUCHARIUS, v. Scheinius, Steinius Eucharius.  
AUGSBURG (Augsburg, Augusta Vindelicorum) 2, 14.  
AUGUSTA VINDELICORUM, v. Augsburg.  
AUGUSTANUS civis, Linck, 14.  
AUGUSTUS, dux Saxoniae, S. Rom. Imp. archimarschalcus et elector, 40, 73, 75, 77, 88.

### B

BADENSIS marchio, Christophorus, 39.  
BALCANICA peninsula, Intr.  
BALTICUM (Balticum) mare, Intr., 36, 37, 41, 47, 63, 78.  
BARNHOLMUM (Bornholm, Borringholmia), 78, 86.  
BARNIM IX, Pomeraniae dux, 6, 21, 39.  
BEHENN, v. Bihenn.  
BEIRINGUM (Beiring, Bjerring), 36, 37.  
BEKIER Bartholomeus, speculator maris, 83.  
BELZENSIS palatinus, v. Ioannes comes a Tenczyn.  
BICHOW (Bychów), 55.  
BIELSKO, 28, 29.  
BIHENN (Behenn? Bibenn) Paulus, 82.  
BOBEROW Adamus, mercator Rigensis, 26.  
BODNIAK S., Intr.  
BOGUSLAUS XIII, Pomeraniae dux, 21.  
BORRINGHOLMIA, v. Barnholmum.  
BORUSSIAE (Prussiae) portus, 63.  
BOTT[ER] Paul, 68.

BRANDENBURGENSIS marchio, Albertus, 6, 21.  
— marchio, Ioannes, 40.  
— —, Ioannes Georgius, 80, 88.  
— —, Wilhelmus, archieps. Rigensis, 9, 13.  
BRANDES Ioannes, proconsul Gedanensis 27, 51.  
BRANSSWIK (Braunschweigk) Simon, fiscalis reg. Pol., 83, 84.  
BREMA, 5.  
BROKER Leonardus, civis Gedanensis, 65.  
BROMME Joachim, civis Gedanensis, 66, 67.  
BRUNNOW (Brunno) Michael, secretarius reg. Pol., 18, 47.  
BRZESZCZE LITUANICO (Brześć Litewski), 8.  
BURINGUM, v. Beiringum.  
BURGUNDIONES, 5.  
BYCHÓW v. Bichow.

### C

CARLEWITZ, Christophorus de, Maximiliani II commissarius, 80.  
CAROLUS V, imperator, 4, 5, 6.  
CASSUBIORUM dux, Ioannes Fridericus, 79.  
CATHARINA Iagellonica, Sueciae regina, 23, 74, 77.  
CAUNA (Kaunas), 19.  
CECILIA, soror regis Sueciae, Erici XIV, 39.  
CHODKIEWICZ (Chodkowicz) Ioannes, baro in Schklow et Bichow, Samogitiae Livoniaeque capitaneus et administrator generalis, dux exercitus in Livonia, 55.  
CHRISTIANA Respublica (Christianus Orbis, Christianitas), Intr., 3, 4, 5, 30, 31, 34, 47, 60, 62, 69, 75, 77, 80, 85.  
CHRISTIANUS (Christiernus) I rex Daniae, Intr.  
CHRISTIANUS II, rex Danorum, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum, dux Slesvitiae, Holsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comes in Oldenburg et Delmenhorst, 40.  
CHRISTIANUS III, rex Danorum, Norvegiae, Vandalorum et Gottorum, dux Slesvitiae, Holsatiae, Stormariae ac Dithmarsiae, comes in Oldenburg et Delmenhorst, Intr., 3-10, 14, 16.  
CHRISTINA ducissa Lotaringiae filia regis Danorum Christiani II, 40.

CHRISTOPHORUS de Mecklenburg, Rigensis archidlocaesis coadiutor, 13, 20, 24, 25, 57.  
 CHRISTOPHORUS, marchio Badensis, 39.  
 COPPENHAGIUM (Copenhaga), v. Hafnia.  
 CORSÖR (Korsör), 87.  
 CRACOVIA, Cracoviensis civitas, 2, 3, 14.  
 CRACOVIENSIS eps., Philippus, vicecanc. Regni, 14.  
 CRUCIFERORUM Ordo in Livonia, Intr., 10, 31.  
 CURLANDIA (Curland, Curonia), Intr., 11, 28.  
 CURLANDIAE dux Kettler Gothardus, 21, 59 (v. Kettler).  
 CZAPLIŃSKI L., Intr.

## D

DĄBIŃSKY v. Dembiński.  
 DACIA, v. Dania.  
 DALLEMER Ioannes, civis Gedanensis, 65.  
 DALMENHORST, v. Delmenhorst.  
 DANÇAY Charles de, (Danzeus Carolus) Gallorum regis orator, 41, 46, 48, 49, 73, 75-77.  
 DANIA, Danicus passim.  
 DANTISCANA civitas, 8, 41 (v. Gedanum).  
 DANTISCANI, 5 (v. Gedanenses).  
 DANTISCANUS portus (v. Gedanensis portus), 63.  
 DANTZIGER Schiffe, v. Gedanenses naves.  
 DELMENHORST (Dalmenhorst, Delemenhorst, Delmanhorff, Delmanhost, Gelmenhorst, Telmenhorst), in tit. reg. Dan., 1-4, 6-17, 19-33, 35-52, 54-62, 64-66, 68-70, 73-78, 80-82, 85, 87.  
 DEMBIŃSKI (de Dembianij, Dembienski, Dąbiensky), Valentinus, Regni Pol. cancellarius, 84.  
 DITMARIA (Diethmaria, Dithmersia) in tit. reg. Dan., 1-4, 6-17, 19-33, 35-52, 54-62, 64-66, 68-70, 73-78, 80-82, 85, 87.  
 DUCKER Eberhardus, civis de Parnavia, senior eques Livoniae, 15.  
 DWORZACZEK L. Intr.

## E

EDEN, Georgius ab, praepositus Succoviensis (Zucoviensis), 13, 77.  
 ELDEMBURGH, v. Oldenburg.  
 ELISABETHA I Angliae regina, Intr.  
 ENGLISKE Acta, Intr.  
 ERICUS XIV, rex Sueciae, 19, 23, 27, 30, 34-36, 38-41, 43, 48, 52, 54, 57, 62, 69, 73, 77.  
 ERNESTUS LUDOVICUS, dux Pomeraniae, 21.  
 ESTLAND, 11.  
 EUROPA, Intr.  
 EUXINUS PONTUS, Intr.

## F

FELLIN (Felina), 13.  
 FERBER Constantinus, civ. Gedanensis, 8.  
 FERDINANDUS I imp., 14, 32.  
 FINLANDIAE dux Joannes (Hans), 19, 21, 23, 25, 39, 62 (v. etiam Ioannes III rex Sueciae).  
 FIRSTEMBERGIUS, v. Fürstenberg.

FLENSBURGIUM (Flensburg), 17, 21, 23-25, 30, 31.  
 FRANCORUM rex, 49 (v. Galliarum rex).  
 FRANKE Petrus, civis Gedanensis, 65-67.  
 FRANSKE Acta, Intr.  
 FRIDERICHSBURGUM (Fredrichsburg), 32, 48, 52, 63, 77, 80, 85, 86, 88.  
 FRIDERICUS I, rex Daniae ac Gottorum, electus Norvegiae, dux Holsaciae, Slesviciae, Stormariae et Ditmariaeque, comes in Oldenburg et Delmenhorst, 1, 2.  
 FRIDERICUS II, rex Daniae, Norvegiae, Vandalorum Gottorumque, dux Slesviciae, Holsaciae, Stormariae ac Ditmariae, comes in Oldenburg et Delmenhorst, Intr., 11-66, 68-88.  
 FRIDERICUS, Rheni palatinus, 5.  
 FUCARI, v. Fugger.  
 FÜRSTENBERG (Firstembergus) Wilhelmus magister Ordinis Cruciferorum in Livonia, 13, 25, 31.  
 FUGGER (Fucari, Fuccari), 2.

## G

GADE, Gregorius et Mathias, cives gedan., 22.  
 GALLIARUM (Gallorum) regis orator, 41, 46, 48, 73.  
 GEDANENSES (Dantiscani) cives, magistratus, mercatores, 5, 7, 8, 21, 22, 27, 37-39, 42, 46a, 51, 58, 64-67, 78, 80, 84, 86-88.  
 — naves, 21, 22, 85, 87.  
 GEDANENSIS civitas, v. Gedanum.  
 — portus, 3, 35, 63.  
 GEDANUM (Gedanensis civitas, urbs), Intr., 2, 8, 11, 19, 21, 27, 30, 33, 35, 46a, 51, 62, 64, 67, 81, 83, 84, 86.  
 GENGIS KHAN, Intr.  
 GERMANIA, 25, 26, 73.  
 GERMANIA Inferior, 36, 37.  
 GERMANICA Cancellaria, Intr.  
 — natio, 25.  
 — versio, 58, 62, 73.  
 GERMANICAE civitates, 69, 77.  
 — copiae, 19.  
 GILSEMIUS Reimpertus, legatus reg. Pol., 16.  
 GLASHAGEN Georgius, civis Gedanensis, 65, 67.  
 GLASO, v. Glossothen.  
 GLOSOTHEN (Glasaw, Glashaw, Glaso) Paulus, speculator maris, 83, 84.  
 GOTHARDUS, dux Curlandiae, 21 (v. Kettler).  
 GOTLANDIA (Gotelandt), 27, 56, 86.  
 GOTTI (Gottorum rex) in tit. reg. Dan., 1, 2, 6-8, 10-17, 19-33, 35-52, 54-62, 64-66, 68-70, 73-78, 80-82, 85, 87.  
 GRABOWIECKI (Grabowieczki) Gabriel, capitaneus Mlaviensis, 18.  
 GRODNA (Grodno), 40, 42.  
 GUTTELANT, v. Jutlandia.  
 GUTZKOVIAE comes, Joannes Fridericus, 79.

## H

HAFNIA (Haffnia, Coppenhagium, Kopenhagen), Intr., 6, 7, 27-29, 37, 41-47, 49, 50, 51-54, 57-59, 69-71, 73-76, 78, 81.  
 HAFNIENSES cives, 45, 51, 58, 61, 64.

HALMACIA, v. Holsatia.

HAMBURGA, Hamburgenses, 7, 11, 39.

HANS, Hertzog in Finlandt (v. Ioannes, Finlandiae dux), 23.

HANSA v. Anseae civitates.

HAYNE (Heyne) Petrus, civ. Gedan., 66, 67.

HELMSTADIUM (Helmstedt), 25, 72.

HELSINGBURGUM, 39, 40, 70.

HELUICH Michael, speculator maris, 83.

HESSIAE (Hessen) landgravius, Philippus I, 6.

HISPANIARUM rex, Philippus II, 41.

HOLLANDICAE naves, 38.

HOLLANDICI, 39.

HOLSATIA (Halmacia, Halmatia, Holstatia, Olsatia), in tit. reg. Dan., 1-4, 6-17, 19-33, 35-52, 54-62, 64-66, 68-70, 73-78, 80-82, 85, 87, alibi: 15, 28.

HUNGARIA, 4, 5, 41.

HUSSMAN (Huesman) Joannes, civis Gedan., 66, 67.

HYMMERMAN Casparus, mercator Rigensis, 26.

## I

IAGELLONICA stirps, Intr.

— v. Catharina.

IOANNES III Sueciae rex, 69, 73, 76, 77, 79, (v. etiam Ioannes, Finlandiae dux).

IOANNES Albertus, dux Megapolensis, 10, 25, 39, 40.

IOANNES, Brandenburgensis marchio, 40.

IOANNES, Finlandiae dux, 19, 21, 23, 25, 39, 62 (v. etiam Ioannes III).

IOANNES Fridericus, dux Stettinensis, Pomeraniae, Cassubiorum et Vandalorum, princeps Rugiae, comes Gutzkovieae, 21, 39, 79, 80.

IOANNES Georgius, Brandenburgensis marchio, S. Rom. Imp. Elector, 80, 88.

IOANNES Sigismundus Zapolya, Electus Hungariae, 41.

IOANNIS Baptistae dies, 68, 79, 80.

ITALIAE principes, 41.

IUTLANDIA (Iutia, Guttelant), 2, 32.

IVANUS IV, Terribilis, Moschorum (Rutenorum) princeps, Intr., 31, 35, 39, 41, 75, 77, 78, 86.

JASNOWSKI I., Intr.

## K

KERTSEN A., Intr.

KETTLER (Kethler) Gothardus, Cruciferorum in Livonia ordinis magister, 10, 13, 15.

— Curlandiae et Semigalliae dux, 21, 28, 59.

KIRCHOW Melchior, civis Rigensis, 9.

KNYSZYN (Knischyn, Knissinum, Knissin), 27, 30, 31, 41, 54, 55, 58, 61, 73.

KOCZY Leon, Intr.

KOJDAŃÓW, 60.

Koy Mathias, mercator Rigensis, 26.

KYOVIA (in tit. reg. Pol.), 73.

KYSSMAN Ioannes, civis Lubicensis, 2.

## L

LAURSEN L., Intr.

LINCK Ulrichus, civis Augustanus, 14.

LINDE, Nicolaus von der, proconsul Thorunensis, 58, 61.

LITHUANIA (Littuania, Lituania, Litwania), in tit. reg. Pol., 1-33, 35-52, 54-62, 64-66, 68-70, 73-85, 87.

alibi: Intr.

LIVONIA, in tit. reg. Pol., 17, 21, 24, 26, 32, 55, 73, 83, 85, 87.

alibi: Intr., 10-13, 15, 19-21, 25, 29, 31, 32, 34, 40, 48, 49, 53-55, 73, 75, 77.

LIVONICUS, Livoniensis, 10, 25, 48, 49, 60, 77.

LODEN, arx, 25.

LOICZ (Lojczius) Stephanus, missus reg. Pol., 50.

LONDINIENSES panni, 51.

LOTARINGIAE duclissa Christina, filia regis Danorum Christiani II, 40.

LOTARINGICI, 40.

LUBECA (Lubecensis civitas), 11, 31, 79.

LUBECENSES, 2, 31, 36, 39, 41, 44, 46, 71.

LUBLINENSIS palatinus, v. Ioannes de Tenczyn.

LUBLINUM (Liublinium), 46a-48, 50, 51, 64-66, 68-70, 72.

LUNDINUM, 38.

LUSITANIA, Intr. (v. Portugalia).

## M

MAGNUS, dux Holsaciae, Slesvici, haeres Norvegiae, ep. Osiliensis, 12, 13, 15, 28, 53, 62, 75, 77.

MAHOMETANI, Intr.

MALECZYŃSKI K., Intr.

MALTENSES, 41.

MANLICH, Mathias, 14.

MARIA, Hungariae regina, 5.

MARIENBURGENSIS (Marienburgensis) arx, 1, 7.

MARS, 20.

MASOVIA (Mazowia), in tit. reg. Pol., 2-33, 35-52, 54-62, 64-66, 68-70, 73-79.

alibi: 3.

MAURITIUS, dux Saxoniae, 6.

MAXIMILIANUS II imp., 32, 38, 41, 47, 57, 80.

MECKLENBURG, v. Megapolis.

MEGAPOLIAE duces, 39.

MEGAPOLENSIS dux Christophorus, 13, 20, 24, 25, 57.

— — Ioannes Albertus, 10, 24, 25, 40.

MEGAPOLIS, 44, 46.

MEYER Henricus, civis Gedanensis, 37, 67.

MEYDAEL (Meydel) Michael, 2.

MEMELIENSIA bona, 84.

MICHAELIS S. dies, 84.

MINKWITZ Caspar de, Maximiliani II commissarius, 80.

MLAVENSIS capitaneus, Grabowiecki, 18.

MONA, 86.

MOSCI (Moschi, Moscovitae, Moscovitici, Ru-  
teni) Moscus, Intr., 11, 13, 25, 36, 37, 45,  
47, 48, 67, 69, 73, 75, 78, 86, 87, 88.  
MOSCORUM princeps, (Rutenorum magnus prin-  
ceps) Ivanus IV Terribilis, 31, 35, 41, 75,  
77, 78, 86.  
MOSCOVIA, Intr., 11, 31, 47, 60.  
MOSCOVITICUM (Rutenicum), 36, 40, 47, 71, 86.  
MUNCHHAUSEN (Munchhauszen, Monichausen),  
ep. Osiliensis, 15.

## N

NACLENSIS castellanus, Russocki Franciscus, 18.  
NARVA (Narvia, Nerva), Intr., 31, 35, 36, 39,  
41, 45, 47, 86.  
NARVICA (Narvensis) navigatio, Intr., 39, 41,  
47, 51, 60, 64, 68, 69, 71, 73, 78, 86-88.  
NIBURG, 33, 35.  
NICOLAI Nicolaus, civis Hafniensis, 45 (v. Niel-  
sen).  
NIDDERMAN Georgius, civis Gedanensis, 37.  
NIELSEN (Nilson) Nicolaus, civis Hafniensis, 51,  
58, 61 (v. Nicolai).  
NIKKOPPINGA, 78, 82.  
NORVEGIA (Norvagia), Norvegi, in tit. reg. Dan.,  
1-4, 6-17, 19-33, 35-52, 54-62, 64-66, 68-70, 73-  
78, 80-82, 85, 87.  
NORVEGIAE haeres, Magnus, 12.  
NOVOGARDIA MAGNA, Intr.

## O

OLDENBURG (Aldenbugk, Eldemburgk, Oldem-  
borch, Oldembugk, Oldenborgk, Oldenbur-  
gum, Oltemberk), in tit. reg. Dan., 1-4, 6-17,  
19-33, 35-52, 54-62, 64-66, 68-70, 73-78, 80-82,  
85, 87.  
OLSATIA, v. Holsatia.  
OPPENRADE (Aabenraa), 32.  
ORESUND (Orisund), 7 (v. Sundium).  
ORESUNDENSES fauces (angustiae), 39, 85, 87.  
— magistratus, 58.  
OSILIA, 53, 55, 62.  
OSILIENSIS episcopatus, 15.  
— eps. Ioannes Munchhausen, 12, 15.  
OSTENDORF(F) Ioannes, mercator, 1, 2.  
OTONIA, 8.

## P

PARNAVIA v. Pernovia.  
PERNOVIA (Parnavia, Perona), 15, 48, 53, 55, 69,  
71, 73, 88.  
PETRICOVIA (Piotrkovia, Piotrków), 6, 33-39, 56.  
PHILIPPUS, Cracoviensis eps., vicecancellarius  
Regni, 14.  
PHILIPPUS II, Hispaniarum rex, 41.  
PHILIPPUS I Magnanimus, Hessiae lantgravius,  
6.  
PHILIPPUS I, Pomeraniae dux, 6.  
PLESCOVIA, Intr.  
PODLACHIA (in tit. reg. Pol.), 73.  
POLONIA, (Polen), POLONICI, passim.  
POMERANIA (Pommern), 6, 17, 44, 46, 69.

POMERANIAE duces, 13, 18, 33, 34, 38, 77.  
Barnim IX, 6, 21, 39.  
Boguslaus XIII, 21.  
Ernestus Fridericus, 21.  
Ioannes Fridericus, 21, 39, 79, 80.  
Philippus I, 6.  
POMERANICI nuntii, oratores, 33, 41.  
PORTUGALIA, (Lusitania) Intr., 85.  
PREUSSEN v. Prussia.  
PRUSSIA, in tit. reg. Pol., 1-33, 35-52, 54-62,  
64-66, 68-70, 73-85, 87.  
alibi: Intr., 3, 4, 6, 63.  
PRUSSIAE dux, 5, 13, 21.  
— — Albertus, 6, 19, 25, 39, 83.  
PUCENSIS portus (Puck), 81.

## R

RADOSZKOWICE (Radoszkowicze), 59.  
RADZIWIŁŁ (Radziwiłł, Radzjwiłł), Nicolaus, pa-  
latinus Vilenensis, m. cancellarius, 15.  
RATISBONA, 5.  
RAVA (Rawa), 57.  
RETZ, 49.  
REVALIA (Reval), Revaliensis, 11, 31, 72, 73.  
RHENI palatinus, 4.  
— — Fridericus II, 5.  
RIGA, 25, 26.  
RIGENSES (Rigensis), 69.  
— archidiocesis, 13, 20.  
— archiepiscopatus, 9, 10.  
— archiepiscopus Wilhelmus, 9, 10, 13, 15.  
— cives, mercatores, 9, 26.  
— coadiutor Christophorus, 13.  
— senatus, 9.  
RIJNNEKOPPE, 2.  
ROMISCHE Keyserliche Majestät, 6.  
ROSKILDIA, (Roschildia), 60-62, 73.  
ROSTOCHIANA (Rostochiensis) pacificatio, 20, 24.  
ROSTOCHIUM, 20, 28, 30, 31, 33, 34, 41, 44, 46,  
73, 75-77.  
RUGIAE princeps, Ioannes Fridericus, 79.  
RUSSIA, in tit. reg. Pol., 1-33, 35-52, 54-62,  
64-66, 68-70, 73-85, 87.  
alibi, Intr.  
RUSSIAE totius, tzar, Intr.  
RUSISKE Acta, Intr.  
RUSSOCKI (Russoczki) Franciscus, cast. Naclen-  
sis, consiliarius regis Pol., 18.  
RUTENI (Rutheni), v. Mosci.

## S

SAMOGITIA (Samagittia), in tit. reg. Pol., 9-33,  
35-52, 54-62, 64-66, 68-70, 73-85, 87.  
alibi: 55.  
SARMATICUM mare, 63.  
SAXONIA (Sachsen), 6.  
— duces:  
Augustus, 40, 73, 75, 88.  
Mauritius, 6.  
SCHEINIUS (Steinius), Eucharius (Aucharius),  
71, 73.  
SCHIRREN C., Intr., 11, 12, 13.  
SCHKLOW (Szkłów), 55.  
SCHLICK Ioachim, Maximilliani II commissarius,  
80.



SCLAVI, v. Vandali.  
 SCYTHICI, 40.  
 SEMIGALLIA, 28.  
 SHERPINGUS (Szerpingus), 21.  
 SIBERIA, Intr.  
 SIGISMUNDUS I, rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae ac Masoviae etc., Intr., 1-6.  
 SIGISMUNDUS AUGUSTUS rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Masoviae, Samogitiae, Kyoviae, Volhyniae, Podlachiae, Livoniae dominus et haeres, Intr., 7-88.  
 SIMONIS IUDAE, SS. dies, 85.  
 SLESVICIA (Sczlesvicia, Slesswicia), Schlesvicensis (Slessvicensis), in tit. reg. Dan., 1-4, 6-17, 19-33, 35-52, 54-62, 64-66, 68-70, 73-78, 80-82, 85, 87.  
 SLESVITIAE dux Magnus, 12.  
 SONDŦ (Sonda), v. Sundium.  
 SPEMANN Hilarius, civis Gedan., 27.  
 SPIRA, 5  
 STEINIUS v. Scheinius.  
 STETINENSIS, 78, 80.  
 — dux Ioannes Fridericus, 79, 80.  
 STETINUM (Stettinum, Stettinium), 33, 34, 69, 77, 79, 80, 87, 88.  
 STORMARIA (Sthormaria, Sturmaria, Sturmattia), in tit. reg. Dan., 1-4, 6-17, 19-33, 35-52, 54-62, 64-66, 68-70, 73-78, 80-82, 85, 87.  
 STRALSUNDIUM, 44, 46, 57, 69, 77, 79, 80, 87.  
 STURMARIA, v. Stormaria.  
 SUCCOVIENSIS v. Zucoviensis.  
 SUECI (Svedi, Suedici, Suecus), 19, 20, 23-25, 29, 30, 33-36, 38, 40, 45, 46a, 48, 52, 53, 55.  
 SUECIA (Suedici, Suetia), Intr., 24, 27, 30, 37, 38, 41, 42, 51, 54, 61, 62, 77.  
 SUECIAE (Suecorum) regina, Catharina, 23, 74, 77.  
 — rex, Intr., 11, 18, 20, 21, 31, 44, 46, 47, 49.  
 — Ericus XIV, 19, 23, 27, 30, 34-36, 38, 40, 41, 43, 48, 52, 54, 57, 62, 69, 73, 77.  
 — Ioannes III, 69, 73, 75-77, 79, 80.  
 SUEDICA commercia, 36.  
 — legatio, 32, 33.  
 — navigatio, 51.  
 — pacificatio, 39.  
 — praesidia, 75.  
 SUEDICAE naves, 21.  
 — res, 73.  
 SUEVICUM bellum, 73, 81, 86.  
 SUNDIUM (Sondt. Sundinum), 14, 18, 19, 20, 51, 67, 77, 79.  
 — fauces, 61, 69 v. Oresund.  
 SUNDIUM in Pomerania, 17.  
 SVENSKAE Acta, Intr.  
 SWAROZINSKI, stipendarius reg. Pol., 25.  
 SZELIGA St., Intr.  
 SZKŁÓW, v. Schklow.

## T

TARTARI, Aureae Hordae, Intr.  
 — Astrachanienses, Intr.  
 — Kazanienses, Intr.

TARTARICUM imperium, Intr.  
 TENCZYN (Tencin, Tenzin), Ioannes comes a, palatinus Belzensis et Lublinensis capitaneus Urzendoiviensis, 24.  
 TEUTONICI Ordinis magister in Livonia, 15 (v. Kettler).  
 TEUTONICUS (Theutonicus) magister Cruciferorum, 31.  
 — Ordo Militaris Cruciferorum in Livonia, Intr.  
 TICOCINIUM (Tykocin), 32.  
 TORUNENSIS (Thorunensis) civitas, 58.  
 — proconsul, Nicolaus von der Linde, 58, 61.  
 TURCAE (Turci), 3-5, 41, 67.  
 TURCICA vis, 3.  
 — auxilia, 41.  
 TURCICUM bellum, 5.  
 TVER, Intr.

## U

URZENDOVIENSIS capitaneus, v. Ioannes comes a Tenczyn.

## V

VALACHICI, 40.  
 VALDEMARUS ATTERDAG, Sueciae rex, Intr.  
 VANDALI (Wandali, Sclavi), in tit. reg. Dan., 8, 10-17, 19-33, 35-52, 54-62, 64-66, 68-70, 73-78, 80-82, 85, 87.  
 VANDALORUM dux, Ioannes Fridericus, 79.  
 VANSOWICZ v. Wąsowicz.  
 VARSAVIA (Varshevia, Varsovia, Warschovia), 10, 23-26, 52, 62, 74-85, 87, 88.  
 VILNA, 4, 9, 11-18, 20-22, 43-46, 51.  
 VILNENSIS palatinus, Radziwiłł Nicolaus, 15.  
 VISBY (Visbu), 27.  
 VISMARIA, 77.  
 VITHNIEK Ioachimus, mercator Rigensis, 26.  
 VOLHYNIA (in tit. reg. Pol.), 73.  
 VON DER LINDEN, v. Linde.  
 VYBURG, 5.

## W

WANDALI, v. Vandali.  
 WARBERGA, 20.  
 WARSZAWA v. Varsavia.  
 WĄSOWICZ (Vansowicz), 21.  
 WEGENER, C.F., Intr.  
 WILHELMUS, Rigensis archiep. marchio Brandenburgensis, 13-15.  
 WILNO, v. Vilna.

## Z

ZAPOLYA Ioannes Sigismundus, Electus Hungariae, 41.  
 ZIMMERMAN Mathias, consul Gedanensis, 51.  
 ZUCOVIENSIS (Succoviensis) praepositus, Georgius ab Eden, 77.

FINITO DI STAMPARE CON I TIPI DELLA  
TIP. EDIGRAF - ROMA TEL. 893554  
IL 28 APRILE 1964

INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE

**ANTEMURALE VII - VIII**

1863 - 1963

Studia:

STANISŁAW BOBR - TYLINGO: Napoléon III, l'Europe et la Pologne  
1863-1864.

MARIAN KUKIEL: Military Aspects of the Polish Insurrection of 1863-1864.

WALENTYNA RUDZKA: Studies on the Polish Insurrectionary Govern-  
ment in 1863-1864.

Relationes Instituti Historici Polonici: Sessiones annorum 1962-1963.



INSTITUTUM HISTORICUM POLONICUM ROMAE  
VIA DEGLI SCIPIONI 284 - ROMA

---

ELEMENTA AD FONTIUM EDITIONES

- Vol. I — *Polonica ex Libris Obligationum et Solutionum Camerae Apostolicae*. Collegit J. LISOWSKI pp. XV + 292, 1960.
- Vol. II — « *Liber Disparata Antiqua Continens* » Praes. E. WINKLER paginae XVIII + 190, 19 tabulae, 1960.
- Vol. III — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino*, I pars. Coll. W. WYHOWSKA DE ANDREIS pp. XVIII + 162, 29 tabulae, 1961.
- Vol. IV — *Res Polonicae Elisabetha I Angliae Regnante Conscriptae ex Archivis Publicis Londoniarum*. Ed. C. H. TALBOT, pp. XVI + 311, 9 tabulae, 1961.
- Vol. V — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Dragonetti de Torres in Civitate Aquilana*. Ed. P. COLLURA, pp. XI + 86, 4 tabulae, 1962.
- Vol. VI — *Res Polonicae Iacobo I Angliae Regnante Conscriptae ex Archivis Publicis Londoniarum*. Ed. C. H. TALBOT, pp. XI + 396, 8 tabulae, 1962.
- Vol. VII — *Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino*, II pars. Coll. W. WYHOWSKA DE ANDREIS pp. XIV + 250, 11 tabulae, 1962.
- Vol. VIII — *Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*. Prima Pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ 1963.  
pp. X + 214, 7 tabulae.
- Vol. IX — *Res Polonicae ex Archivo Regni Daniae*. Prima Pars. Coll. L. KOCZY 1964.  
pp. XII + 184, 8 tabulae.

In praeparatione:

*Repertorium Rerum Polonicarum ex Archivo Orsini in Archivo Capitolino*, III pars. Coll. W. WYHOWSKA - DE ANDREIS.

*Documenta Polonica ex Archivo Generali Hispaniae in Simancas*. Secunda Pars. Ed. V. MEYSZTOWICZ.

*Res Polonicae ex Archivo Musei Britannici* Ed. C. H. TALBOT.

DEPOSITARII:

(pro continente Europeo)  
« ORBIS CATHOLICUS », LIBRERIA  
117-120, piazza Montecitorio - ROMA  
Lit. 5.500

(pro aliis partibus)  
B. H. BLACKWELL LTD  
Broad Street - OXFORD  
ENGLAND  
£ 3.3.0